VITT EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
19 P
44

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
2 C
32

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12
19
f
17

M. ANTONII TOSII A SERRA S. QVIRICI

CIVIS SAXOFERRATENSIS MEDICI, AC PHILOSOPHI

De Anthrace, ſeu Carbunculo.

TRACTATVS.

EIVSDEM

De noua quadam Peripneumoniam curandi ratione à nemine hactenus excogitata.

AD PERILLVSTREM VIRVM

HIERONYMVM MANNELLVM

Equitem D. Michaelis.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.



VENETIIS, Apud Euangeliſtam Deuchinum. 1618.

Admodũ Reuer.do D. Hippolyto Marganitis Septempedano M. Anton.s Tos.s amicitiæ, et beneuolentiæ ergo donat.

PRæſens liber fuit lectus per me infraſcriptum, & in ipſo nihil repertum fuit contra Fidem Catholicam, nec bonos mores, neque Principes &c.

Commiſsar. Inquiſit. Venet.

PERILLVSTRI VIRO
HIERONYMO MANNELLO
EQVITI D. MICHAELIS.

M. Antonius Toſius F. P.

NIHIL eſt (Perilluſtris Eques) quod certius præbeat Amoris argumentum ingenua munerum largitione: Ingenuam appello munerum largitionem, quæ nec à metu, nec à cupiditate aliqua, ſed ab amanti Viro amoris tantum ergo ducit originem. Sunt autem munerum ſpecies innumeræ, inter quas præſtantiſſimam illam eſſe, quæ ab humano Intellectu proficiſcitur, non dubitandum: cum enim iſte adeò præſtans ſit cauſſa, vt ad Diuinitatem aliquo pacto accedere videatur, effectum quoque ſibi congenerem producere rationabile eſt. Vnde nihil mirum, ſi munera ab Intellectu proficiſcentia immortalitatem aliquando adipiſcantur. Cuius rei veritas apertiſsimè declaratur à tot, tantisq. veterum Scriptorum voluminibus præclariſſimis Viris iampridem dono datis; quæ ob hanc ipſam cauſſam in hominum memoria viuunt, viuentq. in poſterum, donec admirabilis iſta Mundi machina vita fruetur. Cum igitur Amicorum hortationibus impulſus decreuerim in præſentia Tractatum de Anthrace, ſeu de Carbunculo à me ſuperioribus annis efformatum in lucem edere, primum ingenij mei fructum exilem quidem, ſed fortaſſe non omnino aſpernandum; tu primus inter cæteros mihi te obtuliſti, cui munuſculum hoc ingenuè elargirer. Nec iniuria, etenim ſi Scri-

ptores quotquot extant Nobiliſſimis Viris, atque de ſe optime meritis ſua ſcripta dicare hactenus conſueuerunt; tibi vni ob eaſdem cauſſas meum de Carbunculo Commentarium debebatur. Quoniam ſi de Nobilitate ſermo ſit, & primum de ea, quæ in maiorum claritate, & ſplendore ſita eſt, Mannellæ ſtirpis præſtantia non ſolum in Roccha Contrata, magnifico Piceni Oppido, ſed in Piceno ipſo toto, immo in tota Italia, & apud exteras quoque nationes iampridem innotuit. Quippe antiquiſſima tua eſt Familia, cum trecentis ab hinc annis, tum diuitijs, tum hominum virtute, & præſertim bellica floruerit. Teſtatur id communis Rocchenſium aſſenſus, Viros nempe ex iſto genere oriundos Patriam antiquitus à Tyrannorum iniurijs vindicaſſe; vnde ob rem egregiè geſtam Rocchenſis Senatus Mannellam Familiam, non ſolum multis honoribus, ſed proprijs quoque inſignibus decorauit. Claruit præterea inter cæteros ſuperiori ætate Bartholomæus Mannellus, qui ſub Franciſco Sfortia ſtipendia faciens, ob heroicas actiones in bello patratas, eius legatus in Patrimonij Prouincia fuit inſtitutus; vbi præclarè ſe gerens tandem aduerſus hoſtes dimicando honorificam mortem oppetijt. Verum ne nimis in longum mea protrahatur oratio, antiquioribus relictis, paucula tantum de illis proferam, qui hac noſtra ætate, religione, literis, & armis inſignes extitere. Inter quos libet ab Epiſcopo Hieronymo exordiri, Viro pietate, prudentia, iuſtitia, & eruditione adeo inſigni, vt Nucerina Ciuitas, & ipſius Diœceſis vniuerſa illius obitum adhuc lugeat, eiuſdemq. laudes ad ſidera tollat. Huic non diſſimiles fuere Nepotes, & præſertim Flaminius Mannellus Aloyſio Eſtenſi Cardinali ampliſſimo ita carus, vt negocia cuncta grauiora ſibi demandaret. Immo quod magis eſt, Carolum Nonum, & Henricum Tertium Francorum Reges potentiſſimos ipſius facundia, prudentia,

dentia, ceteræq. Virtutes adeo delectarunt, vt familiariter eo ſæpiſſime vſi fuerint, multaq. munera erogauerint, quæ domum ſuam maximopere ditarunt. Non minori prudentia, ſed maiori eruditione, & ſapientia floruit proximis annis Claudius Mannellus Abbas S. Geneſij illius germanus, cuius eximiæ animi dotes tantam ipſi apud homines gloriam compararunt, vt omnes non ſolum viuentem admiratione, & reuerentia fuerint proſequuti, ſed nunc vita functum eumdem admirari, & reuereri non deſinant. Præclariſſimus quoque noſtra memoria extitit Camillus Mannellus Dux militum, tum ob bellicæ artis peritiam, tum ob animi fortitudinem; quorum auxilio in Belgio ſub Sereniſſimo Principe Alexandro ita egregiè militauit, vt ſuorum facinorum recordatio nunquam apud homines ſit peritura. Hi ſunt tres illi Viri tui germani fratres, quibus non ſolum tu, ſed vniuerſa Mannella progenies perpetuò gloriabitur, cum in ipſis ſuæ Nobilitatis ſplendor admodum enituerit. Hunc tu (generoſe Eques Hieronyme) proprijs laboribus ab ineunte ætate exantlatis, tum conſeruaſti, tum mirum in modum auxiſti. Vix enim ad Iuuentutis annos peruentus in Belgicam regionem bello tunc temporis flagrantem te contuliſti; vbi ſub præclariſſimo Mag. ſtro Alexandro. ſ. Farneſio operam armis ſedulò nauans, adeò profeciſti; vt Sereniſſima Venetorum Reſpublica longo annorum curriculo maxima bellica negocia tibi demandauerit. Vnde Præfectum militum primum in Ciuitate Cattari, deinde in Iſtria, in Inſula Cretæ, & alijs in locis te conſtituit. In quibus fideliter admodum, & præclarè tuo functus officio apud Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem tantam tui cupiditatem excitaſti, vt enixè tuam operam expoſtulauerit: quam cum ipſi non denegaueris Tribunum militum te creauit; ita vt vno, & eodem tempore ſex millibus peditúm præfueris. In quo munere

obeundo

obeundo adeò ſtrenuè te geſſiſti, vt in hoc poſtremo bello Dux ille magnis propoſitis præmijs per plures nuncios te accerſiuerit: quod apud me tanti eſt, vt nullum fortaſſe maius teſtimonium ad virtutem tuam declarandam exoptari poſſe videatur. Eſt enim inuictiſsimus Carolus inter hodiernos Principes tanquam Sol inter Stellas, ita vt ſuæ fortitudinis, & magnanimitatis ſplendore non tantum apud Italos, ſed apud omnes Mundi nationes maximè refulgeat. Iure itaque quilibet, dummodo inuidiæ morbo non tentetur, affirmare poteſt, in te tum generis nobilitatem; tum propriam quoque adeò enitere, vt Patriæ tuæ maximam claritatem attuleris. Quamobrem ipſa nulla alia re ita gloriatur, quam Mannella proſapia: hæc enim magis quam ceteræ omnes Rocchenſe Oppidum illuſtrauit, & celebre reddidit. Ex quibus omnibus quilibet colligere valet, me ſumma cum ratione librum hunc tuo Nomini dicare decreuiſſe; eo magis quod cum multa in me contuleris beneficia, aliquid pro ipſis rependere meum erat, aut ſaltem meam erga te animi propenſionem publico teſtimonio patefacere. Reliquum eſt (Vir Nobiliſſime) vt hoc leuidenſe munus qualecunque ſit, læta fronte excipias, atque amplitudine, authoritateq. tua ab Inuidorum, Zoilorum, & Sycophantorum morſibus defendas. Quibus interim illud meminiſſe volo, vt edant ipſi, deinde edita imprebent; ſic enim clarius ſuas vires animaduertent, & fortaſſe ab aliorum calumnijs abſtinebunt. Cæterum quicquid ſit de iſtis peſsimæ naturæ hominibus; illud tibi notum eſſe volo, in poſterum præſtantiores ingenij mei fructus expectare poſſe; ſiquidem in nobiliſsimo Cingulanorum Oppido maxima tranquillitate Medicinam faciens, ob immenſam incolarum humanitatem, & elegantiam, Intellectum ad ſpeculandum promptiorem fore confido. Vale.

Datum Cinguli Kalendis Nouembris M. DC. XVII.

INDEX CAPITVM.

PRIMAE SECTIONIS CAPITA.

PRopoſitio dicendorum. pag. 1
De nomine. Cap. j. 3
De maligni Carbunculi natura. cap. ij. 6
Proponuntur cauſſæ accidentium maligno Carbunculo inexiſtentium. cap. iij. 21
De Carbunculi peſtilentis natura. cap. iiij. 25
Proponuntur cauſſæ accidentium peſtilenti Carbunculo inexiſtentium. cap. v. 33
De differentijs. cap. vj. 36

SECVNDAE SECTIONIS CAPITA.

DE ſignis diagnoſticis maligni Carbunculi. cap. j. 39
De ſignis diagnoſticis peſtilentis Carbunculi. cap. ij. 44
De ſignis q̃ vtrũq; carbũculũ ab alijs affectib. diſtinguũt. c. iij 47
De ſignis prognoſticis maligni Carbunculi. cap. iiij. 53
De ſignis prognoſticis peſtilentis Carbunculi. cap. v. 57

TERTIAE SECTIONIS CAPITA.

DE methodo curatrice ambabus Carbunculi ſpeciebus inſeruiente. cap. j. 61
De Chirurgicis remedijs tam non peſtilenti, quàm peſtilenti Carbunculo accommodatis. cap. ij. 64
De Pharmaceuticis tum internis, tum externis maligno Carbunculo conuenientib. ipſius tantum localib. exceptis. cap. iij. 74
De remedijs vlceri maligni Carbunculi admouẽdis. cap. iiij. 81
Quid agendum poſt ignis, & ſupradictorũ remediorũ adminiſtrationem vſq; ad perfectam vlceris conſolidationem. cap. v. 94
De maligni Carbunculi inflammatione curanda. cap. vj. 99
De Pharmaceuticis tum internis, tum externis peſtilẽti Carbunculo conuenientib. ipſius tantum localib. exceptis. c. vij. 107
De Topicis vlceri, & inflammationi peſtilentis Carbunculi conuenientibus. cap. viij. 119
Qua ratione Carbunculi palpebrarum, oculorum, pudendorum, & linguæ curari debeant. cap. ix. 124
De ſymptomatibus cuiuſcunque ſpeciei Carbunculos concomitantibus auferendis. cap x. 131
De victus ratione Carbunculis omnibus accõmodata. c. xj. 137
Peroratio. cap. xij. 141

RERVM MEMORABILIVM quæ in hoc Opere continentur.

INDEX.

Prior numerus Sectionem: Poſterior paginam indicat.

A

ABſtergentia Sect. 3. pag. 97
Accidentia propria carbunculi maligni 1.21
Accidentia propria carbunculi peſtilentis 1.53
Aeris electio 3.137
Aer quot modis inficiatur 1.21
Affectus carbunculis ſimiles 2.48
Alexipharmaca in carbunculo peſtilẽte 3.113
Alexipharmacorum rectus uſus 3.117
Amuleta pro carbunculo peſtilenti 3.118
Antecedentes carbunculi maligni cauſſa 1.19
Aqua frigida pro carbone maligno 3.79
Aqua frigida pro carbone peſtifero 3.113
Aqua alexipharmaca Autoris 3.116
Aqua cordialis Saxonia 3.115
Aqua ſcorzonera 3.114
Aqua theriacalis 3.ibid.
Arſenicum exterius geſtatum in peſtilentibus affectionibus inutile 3.118
Arſenicum pro ulcere peſtilentis carbunculi eſt præſtantiſſimum 3.121
Ariſtocrates carbone laborans ob aſſumptum Mercurialis ſuccum in colliquatiuum fluxum incidit 3.110
Atra bilis ex ſuperaſſatione pituitæ non datur contra Auic. 1.12
Auerroes notatur 3.110
Auicenna inconſtantia 3.65
Auicenna non bene propoſuit cauſſam carbunculum efficientem 1.14

B

BOli alexipharmaci 3.115
Bubonis peſtilentis, & carbunculi differentia 2.48
Bubones peſtilentes quomodo a carbunculis diſtinguantur 2.ibid.

C

CAlorem natiuum imbecilliorem reddentes cauſſæ tres 1.29
Cancri à quo humore generentur 1.13
Carbunculus eſt morbus admodũ lethalis 1.1
Carbunculus eſt morbus male tractatus 1.2
Carbonis, eſt carbunculi ſignificationes 1.3
Carbunculus Rhaſis eſt furunculus Latinorũ 1.4
Carbunculus, carbo, anthrax, pruna, & ignis Perſicus ſunt ſynonima 1.5
Carbunculus eſt morbus aliquando Epidemicus, aliquando ſporadicus, nunquam endemicus 1.ibid.
Carbunculus Plinij & Celſi ſunt idem 1.ibid.
Carbunculi ſymptomata his temporibus aliquo pacto immutata 1.6
Carbunculorum ſpecies præcipuæ duæ, malignus, & peſtilens 1.7
Carbunculi fiunt etiam in partibus internis 1.ibid.
Carbunculi generatio 1.7
Carbunculus eſt morbus compoſitus 1.8
Carbunculus ſine ulcere conſiſtere nequit 1.9
Carbunculus non fit ab atra bile exquiſita 1.14
Carbunculus eſt deterior cancro contra Valeſium 1.18
Carbunculus legitimus abſque febre non datur 1.21
Carbones calidioribus temporibus magis graſſantur 1.20
Capitellum 3.90
Carnem ſuperfluam auferentia 3.97
Cauſſa ulceris, & tumoris carbunculi eſt diuerſa 1.15
Cataplaſma de Xenegloſſa 3.102
Chirurgica carbunculorum remedia duplicia 3.64
Chirurgorum error 3.92
Chirurgorum varij errores 3.106
Chirurgi huius temporis qui 3.ibid.
Chalcantum tanquam eſcaroticum 3.57
Cibus, & potus 3.158
Cicatrizantia 3.58
Cicatricũ deformitas quomodo tollenda 3.59
Circinatio in ulcere utriuſque carbunculi maximè laudata 3.82.119
Colis carbunculi antiquis temporibus frequentiores 3.129

Colis

Colis carbunculi inuſtione curandi. 3.129
Cognitio carbunculi in principio difficilis 1.40
Cruſta carbunculorum palpebrarum ad albedinem declinat 3.124
Cruſta furunculorum qua 2.51
Cucurbitula quem vſum habeant in carbunculis 3.72
Cucurbitula pro vlcere peſtilentis carbunculi 3.120
Cur ſanguis atrabilaris carbunculi cauſſa venas internas non erodat 1.19

D

DEbilitas pulſus à feminis quoque dignoſci poteſt 2.46
Definitio carbunculi maligni 1.8
Definitio carbunculi peſtilentis 1.33
Definitionum perfectarum quid ſit peculiare ex Ariſt. & Auerroe 1.21
Delirium, & ſopor raro malignis carbunculis superueniunt 1.25
Delirij cauſſa, & curatio 3.132
Deliteſcentia carbunculi lethalis 2.60
Depaſtionis carbunculi cauſſa 1.21
Deſtillatum 3.132
Differentiæ carbunculorum propriiſſimæ 1.36
Differentiæ propriæ 1.37
Ab vlcere 1.ibid.
Ab inflammatione. 1.ibid.
A ſubiecto 1.ibid.
A cauſſis 1.ibid.
Differentiæ communes 1.ibid.
A tempore 1.ibid.
Ab antecedentibus, & conſequentibus 1.38
Differentia peſtilentis carbunculi a coniunctis 1.ibid.
Diuiſio corporis in partes ſuperiores, & inferiores 3.70
Doloris cauſſa, & curatio 3.132

E

EFficiens maligni carbunculi cauſſa duplex 1.11
Efficiens peſtilentis carbunculi cauſſa quæ 1.26
Electuaria duo interna viſcera roborantia in carbunculo maligno 3.79.80
Electuarium de hyacintho 3.115
Emplaſtrum pro principio, & augmento inflammationis carbunculi maligni 3.103
Emplaſtra pro vltima parte augmenti, & pro ſtatu 3.ibid.
Emplaſtrum pro vltima parte ſtatus 3.104
Emplaſtra pro declinatione 3.106
Emplaſtrorum rectus vſus 3.104
Emplaſtra ad defluxionem ſiſtendam 3.103
Emplaſtrum ex malo punico 3.ibid.
Emplaſtrum ex malicorio 3.104
Emplaſtrum ex farina orobi 3.ibid.
Emplaſtra varia pro inflammatione carbunculi peſtilentis 3.123
Emplaſtrorum iſtorum rectus vſus 3.ibid.
Epynictis quomodo a carbunculo diſtinguatur 2.49
Epythema pro corde in carbone peſtifero 3.117
Error Medicorum, & Chirurgorum circa carbunculi nomen 1.4
Eryſipelatoſæ inflammationi quæ conueniant 3.103
Eſchara quibus medicamentis auferri debeat 3.94.121
Exceſſus aeris corrigendi 3.63
Extracta ſententia quorundam Recentiorum damnantur 3.77
Extracta paracelſiſtarum improbantur 3.76

F

FEbris non ſemper carbunculos malignos comitatur 1.22
Febris maligni carbunculi, vel eſt ephemera, vel putrida 1.23
Febris peſtilentis carbunculi eſt ſemper putrida peſtilens 1.34
Febris peſtilentis carbunculi ſæpe mitis apparet 1.ibid.
Febres carbunculo coniunctæ quomodo curandæ 3.131
Ferrum candens pro carbunculi maligni vlcere 3.93
Pro eiuſdem inflammatione 3.105
Rectus ipſius vſus 3.93
Ferrum candens pro carbone peſtifero 3.121
Fluxio in carbunculo potiſſimum fit ab impulſione 1.19
Fluxus vlcus colliquatiui curatio 3.136
Foramen amplum cum vena inciditur efficiendum 3.71
Furunculum dicta ſpecies 2.51
Furunculi prima ſpecies quomodo a carbunculis diſtinguantur 2.ibid.

Furunculorum ſecunda ſpecies a carbunculis diſtinctio 2.ibid.
Furunculi mutantur aliquando in carbunculos 2.52
Furunculi maximè carbunculis aſſimilantur 2.50

G

Galenus colico dolore laborans putauit ſe eſſe nephriticum 2.47
Gal. locus 2. de Differentijs febrium cap. 9. de cauſa efficienti carbunculi declaratus 1.14
Gal. locus 3. in 3. Epidem. de carbunculorum putredine declaratus 1.17
Gal. locus de reprimentibus dilucidatus 3.101
Galli applicatio 3.120
Guidi carbunculi naturam non eſt rectè aſſequutus 1.8

H

Herpetes, & Phagedena à quo humore fiant 1.15
Hipp. in cauſa Critonis non miſit ſanguinem, & cur 3.67
Hiſtoria iuuenis cruſtoſo vlcere laborantis qui pro carbunculo à Medico habebatur 1.49
Hiſtoria lanifici Septempedani 2.50
Hiſtoria Mercatoris Recchenſis 2.ibid
Hiſtoria Illuſtriſs. Card. Lamphranci 2.ibid.
Hiſtoria mulieris Septempedanæ 2.60
Hiſtoria iuuenis Anthrace peſtifero in manu laborantis ex Foreſto 2.70
Hiſtoria laborantis carbunculo prope Genu ex Luſitano 2.69
Hiſtoria Leandri Gualdenſis 3.83
Hiſtoria Luſitani de carbunculo, cuius non tantum vlcus, ſed ipſa etiam inflammatio inuſtione fuit curata 3.105
Hiſtoria Chirurgi peſſimè carbunculos curantis 3.105
Hirudines in carbunculis, & præſertim peſtilentibus maximè probantur 3.71
Hirudinum rectus vſus 3.72
Hirudines in vlcere carbunculi aliquando inueniuntur 3.83
Humores veneno ſimiles in corpore humano naſcuntur 1.28

I

Indicationes præſidiorum materijs anteponenda 2.61
A tribus deſumuntur 2.62
A morbo 2.ibid.
A cauſſis, & primo à ſanguine putrido vlceris cauſſa 2.ibid.
A ſanguine atrabilari defluxo inflammationis cauſſa 2.ibid.
A ſanguine atrabilari defluente 2.ibid.
A ſanguine in potentia fluxili 2.63
Indicationes a viribus deſumptæ 2.ibid.
Inflammatio duplex 1.10
Inflammatio carbunculi eſt humida 1.ibid.
In definitione carbunculi vlcus inflammationi eſt præponendum 1.10
Inflammatio carbunculi nunquam ſuppurat 1.24
Inuſtio aliquando repetenda 3.93
Inſtrumenta pro inurendo carbunculo qualia debent eſſe 3.93
Intercipientia ſiue defenſiua 3.99
Intercipientium locus 3.100
Intercipientium materia 3.ibid.

L

Labor immodicus victui prauo adiunctus maximam generandi carbunculos vim habet 1.20
Lenientia pro carbunculo maligno 3.76
Lenientia pro carbunculo peſtilente 3.110
Linimentum pro corde in carbone peſtifero 3.118
Lingua carbunculi vt curentur 3.130
Lipothymia & ſincope cauſſa & curatio 3.133
Locus mittendi ſanguinis in carbunculis 3.67

M

Malignitas carbunculi in ipſo potiſſimum vlcere reſidet 1.18
Maligni, & peſtilentis carbunculi diſcrimen 1.25
Maligni carbonis propria accidentia quatuor 1.21
Malignitatis carbunculi non peſtilentis maioris aut minoris ſigna 2.42
Malleolorum ſcarificatio 3.72
Mediata peſtilentis putredinis cauſſe 1.29
Medicus Chirurgicas actiones obire poteſt nulla ſuæ dignitatis iactura 3.142
Medicamentorum ſuppurantium natura 3.86

Medi-

Medicamenta primæ claſſis pro vlcere carbunculi maligni 3.87
Secundę claſſis 3.89
Tertia claſſis 3.90
Quarta claſſis 3.92
Medicamenta ad eſcharam auferendam opportuna 3.95
Medicamēta pro vlcere peſtilētis carbunculi ex tertia vel quarta claſſe hauriri debēt 3.120
Morbi omnes ad tres gradus rediguntur 1.1
Monitum maximi momenti 2.53
Motus, & quies 3.140
Mundus idem eſt qui olim fuit 3.66

N

NVllum præſtantius remedium pro carbūculi vlcere ferro candente 3.92
Nauſeę cauſſa & curatio 3.134

O

OCulorū carbūculi quomodo curādi 3.127
Oleum de Calcantho 3.90
Oleum Mattheoli, & Magni Ducis Etrurię 3.118
Omnes conſentiunt in carbunculo ſanguinem eſſe mittendum 3.65

P

PAlpebrarum carbunculi quomodo curandi 3.124
Palpebrarum carbunculos multa ſequuntur mala 3.125
Palpitationis cordis cauſſa, & curatio 3.133
Partis inflammatę ad maximam molem eleuationis cauſſa 1.24
Pathognomonica peſtilentis carbunculi ſigna 2.94
Peſtis immediatè a Cœlo non prouenit 1.36
Peſtilētis carbunculi nomen quid ſignificet 1.25
Peſtilens carbo frequentius maligno in emunctorijs erumpit 1.ibid.
Peſtilentis carbunculi efficiens cauſſa 1.26
Peſtilentes carbunculi contagioſi 1.33
Peſtilens carbunculus ſine febre nō datur 1.34
Peſtilens carbo ſine peſte datur 1.35
Peſtilentes carbunculi poſt ſeptimum periculo vacant 1.60
Peticularum, & carbunculorum materię differunt 1.26
Peticularum mentionem fecit Hippoc. 7. Epidem. 1.26
Pharmaceutica interna maligno carboni conuenientia 3.74
Peſtilenti carbunculo conuenientia 3.108
Pręcepta in medicamentis vlceri carbunculi maligni admouendis obſeruanda 3.91
Pręparantia, & alterantia pro carbunculo maligno 3.77
Pro carbunculo peſtilente 3.114
Procatarticę maligni carbunculi cauſſę 1.20
Prognoſticorum pręcipui fontes duo 2.53
Prognoſtica maligni carbunculi à ſpecie morbi 2.53
A ſignis pathognomonicis 2.54
A ſignis aſſidentibus 2.55
A iuuantibus 2.55
A virium robore 2.56
Prognoſtica carbunculi peſtilentis & primo à morbi ſpecie 2.57
A ſignis pathognomonicis 2.57
Prognoſtica à ſignis aſſidentibus 2.58
A virium robore 2.60
Pulueres alexipharmaci 3.115
Purgantia in principio carbunculi maligni improbantur 3.75
Purgantia in principio etiam carbunculorum peſtilentium damnantur 3.102
Purgantium materia 3.75
Puſtulę nigrę quomodo a carbunculis diſtinguantur 2.49
Puſtularum carbunculi cauſſę 1.18
Puſtula cum carbunculis non ſemper viſuntur 2.40
Puſtula in definitione carbunculi non debent poni 1.10
Putredinis ſpecies ex Gal. 1.16
Putredo maligni carbunculi eſt putredo tertia ſpeciei 1.17
Putredo peſtilentis carbunculi eſt putredo ſimpliciter 1.27
Putredinis peſtilentis natura peſſima omnium eſt 1.28
Putredo carbunculos ſemper aſſociatur 1.17
Putredinis ſimpliciter varij modi 1.27

Q

QVando ſanguis ſit mittendus 3.68
Quatuor ſunt oppoſitionum differentia in reuulſione obſeruanda 3.69

Raſis

R

RAſis nomine carbunculi, & anthracis fuit abuſus 1.4
Repletio, & inanitio 3.140
Reprimentia 3.101
Reprimentia in carbunculo maligno quomodo conueniant 3.101
Reprimentia pro carbunculo etiam peſtilenti 3.124
Reuulſionis leges 3.69
Ridicula Medicorum, & Chirurgorum huius temporis conſuetudo circa quantitatem mittendi ſanguinis 3.66

S

SAnguini atrabilari carbunculorum cauſſa ſæpe alius humor adiungitur 1.18
Sanguis in anthracibus malignis vſque ad animi deliquium euacuandus 1.65
Sanguine vſque ad ſyncopem euacuato nonnulli in ipſorum medicorum manibus perierunt 3.66
Sanguis in peſtilenti carbunculo moderatè mittendus 3.67
Sanguis in peſtilenti carbunculo aliquando nullo pacto mittendus 3.67
Sanguis in carbunculis artuum vnde mittendus 3.69
Sanguis vnde mittendus dum carbunculus cęteras partes obſidet 3.70
Sacculus pro corde in carbone peſtifero 3.118
Sarcotica carnem generantia 3.97
Scarificationes in quolibet carbunculo conueniunt excepto illo qui oculo inſidet 3.81.119
Scarificationis rectus vſus 3.82
Scarificatio interdum repetenda 3.82
Scarificationes in inflammatione quoque carbunculi probantur 3.105
Serum caprinum tanquam leniens pro carbunculo maligno 3.76
Serum caprinum tanquam alterans pro carbunculo maligno 3.78
Serum caprinum tanquam leniens in peſtilenti carbunculo 3.111
Serum caprinum tanquam alterans in eodem 3.112
Signa aſſidentia maligni carbunculi 2.41
Signa aſſidentia peſtilentis carbunculi 2.44
Signa carbunculi legitimi 2.42
Signa carbunculorum illegitimorum 2.42
Signa peſtilentis carbunculi cum peſte, & ſine peſte 2.47
Somnus, & vigiliæ 3.140
Somni profundi cauſſę, & curatio 3.142
Suppurantia in vlcere carbunculi a Gal. omnino excluduntur 3.84
Suppurantia in eodem a Paulo, Dioſcoride, Plinio, & alijs comprobantur 3.84
Suppurantia ab autore damnantur 3.85
Subiectum carbunculi ſunt partes externę 1.11
Syrupus de ſcordio Mercurialis 3.112

T

THeriaca in carbunculo maligno probatur 3.79
Theriaca in peſtilenti quoque carbunculo conuenit 3.113
Theriaca in vlcere carbunculi parũ valet 3.107
Trochiſci Andronis 3.89

V

VArię circa vlceris carbunculi curationẽ opiniones 3.81
Venę ſectio tum euacuatoria, tum reuulſoria in carbunculis locum habet 3.61
Venę ſectionis vicaria 3.78
Veſicantia quando in carbunculis conueniant 3.73
Veſicantium rectus vſus 3.ibid.
Virium iacturę in carbunculo peſtilenti cauſſa 1.35
Vlceris carbunculi origo 2.40
Vlcus carbunculi maligni fit à ſanguine atrabilari putreſcẽte putredine tertię ſpeciei 1.17
Vlcus carbunculi peſtilentis fit a ſanguine atrabilari putreſcente putredine excellenti quę ſimpliciter putredo dicitur 1.33
Vlceris carbunculi curationi ſedulò incumbendum 3.81
Vlceris peſtilentis carbunculi germana curatio eſt ipſa inuſtio 3.121
Vlcus peſtilentis carbunculi per quadraginta dies apertum ſeruari debet 3.122
Vlcera carbunculi peſtilentis, poſt ſeptimum non ſunt amplius contagioſa 3.60
Vlcera cruſtoſa quomodo à carbunculis diſtinguantur 2.48
Vnguentum Aegyptiacum Meſue 3.89
Vng. Aegyptiacum Ioannis de Vico 3.90
Vng. Aegyptiacum aliud Ioannis de Vico validius 3.ibid.
Vng. de ceruſſa improbatur 3.107
Vomitus cauſę & curatio 3.135
Vulnę carbunculi quomodo curandę 3.130

FINIS INDICIS.

M. ANTONII TOSII

MEDICI, ET PHILOSOPHI De Anthrace, ſeu Carbunculo

SECTIO PRIMA.

Propoſitio dicendorum.

AEGRITVDINVM humano corpori contingentium infinitus penè eſt numerus: omnes tamen ad tres gradus redigi ſolent; inde ratione deſumpta, quod aliquæ ſola auxiliante Natura morborum (vt ait Hippocrates) perfecta curatrice ſanantur: aliquæ prȩter Naturæ auxilium Medicam quoque, vt expellantur, opem expoſcunt: aliquæ tandem iſtis etiam omnibus in ſui fauorem conſpirantibus vix, ac ne vix quidem ad bonam frugem redigi poſſunt. In quibus poſtremis Carbunculos eſſe recenſendos, nemo ibit inficias, modo illorum malignitatis conſcius, maximas hominum clades ab ipſis nouerit perpetratas. Si igitur vt ex primo de Victu acutorum

Tres ægritudinum gradus.

Auerroes 3. Colliget 31.

Carbunculus eſt morbus admodũ lethalis.

Medici in tractandis morbis acutis maxime accurati eſſe debent.

contex 8. dicitur, Medicus ille ſummis efferri debet laudibus, qui in huiuſmodi morbis curandis melius, quam cęteri procedit: ille profectò damnandus minimè eſt, qui ratione duce rectum hunc procedendi modum accuratè deſcribit.

Vtilitas iſtius tractatus.

Hi enim ad quorum manus ipſius lucubrationes peruenient nullam medicamenti adminiſtrandi occaſionem prætermittent: quæ ſi in alijs morbis præceps eſt, vt ſummus Hippoc. primo Aphoriſmorum primo ſanciuit; in hoc potiſſimum talis eſt iudicanda. Nam frequenter accidit, vt ipſa præter ipſa, de vita ægri penitus ſit actum. Quamobrem operæ pretium facturum me eſſe arbitror (ſi per dìexedon de Carbunculis in præſentia diſſeram: ſi quis enim reperitur morbus malè à Medicinam facientibus hac tempeſtate tractatus, hic dubio procul (vera loquor) primas obtinet. Cuius euentus occaſio ad nominis, & eſſentiæ morbi ignorantiam, ob varias, implexas, pugnanteſq; ſcriptorum opiniones eſt referenda. Argumentum itaque præſtantiſſimum eſt, multiſque (vt aiunt) paraſangis meum ſuſpirans ingenium. Sed rectè ille quicunque dixit, bona mens ſine Deo nulla eſt, quo auſpice opus aggredior, promittens me ingenue omnia patefacturum, quæcunque hac de re, tum in Schola Patauina didici, tum propria experientia, dum Medicinam feci, oculata fide animaduerti. Tractatio fortaſſe longior erit, nec iniuria.

Carbũculus eſt morbus malè à Medicis, & Chirurgis tractatus, & cur.

Tractationis difficultas.

Nam præſens negocium difficile, & operoſum eſt: quamuis enim multi circa ipſum fuerint verſati, nihilominus nemo, quod ego viderim, illud ad viuum reſecauit; ſed potius omnes ſicco (vt aiunt) pertranſierunt pede, ita vt multus remaneat dicendi locus. Quæ igitur ab alijs relicta fuere, cęteraq; omnia ad huiuſmodi argumentum attinentia oratione adeo clara, & dilucida declarare tentabo; vt quilibet vel mediocriter eruditus noſtram doctrinam ſit aſſequuturus. Vniuerſam hanc materiam in tres Sectiones diuidam: in quarum Prima de Carbunculorum natura: in Secunda de illorum cognitione: in Tertia de curatione pertractabo.

Docendi facilitas.

Ordo dicendorum.

CAPVT PRIMVM.

De Nomine.

OMNIS inquiſitionis principium eſt ipſa nominis ſignificatio: ad Carbunculi ergo naturam, & eſſentiam ritè, rectéque delineandam non tantum ob Scriptorum intelligentiam, quomodo iſte morbus à Græcis, Arabibus, & Latinis nuncupetur, ſed etiam propoſiti nominis ethymologiam exponere neceſſe eſt. Quod vt methodicè procedam, in præſenti capite præſtabo: mox ad eſſentiam deſcendam genericè ſumptam: poſtremò vt eadem eſſentia ſpecificè magis dignoſcatur, hac ipſa ſectione de Differentijs diſputabo. De Nomine autem prius acturus admoneo in nullo affectu apud authores circa nomen maiores inueniri ambiguitates: ad quarum illuſtrationem libet primo adnotare, Carbunculo, & Carboni apud Latinos varias ineſſe ſignificationes. Significat enim Carbo propriè prunam extinctam: aliquando etiam ignitam, vt videre eſt apud Plinium lib. 18. cap. vlt. Albertus Magnus Coruum aquaticum Carbonem aquaticũ nominauit. Carbunculus vero, & pro gemma rubri coloris inter ardentes principatum obtinente; & pro terræ genere; & pro morbo quodam arborum, in quo lacteſcentes germinũ oculi à pruina aduruntur, accipitur: vt legere eſt apud Plinium lib. 37. cap. 7. lib. 17. cap. 4. & cap. 24. Accipitur quoque Carbunculus pro paruo carbone. Denique tam Carbo, quã Carbunculus apud Medicæ artis profeſſores morbi quoddã genus ſignificat, vel quia in ipſo adeſt Vlcus, quod adurit, veluti Carbo incenſus, & pruna. Quam ethymologiam indicauit Philo quoque Iudæus: vel quia eius cruſta carbonis extincti colori aſſimilatur; quas duas ſimilitudines ceteræ etiam acceptiones iam enarratæ reſpiciunt. Nomen igitur

Cur prius de Nomine.

Summa iſtius primæ Sectionis

Maxima de Carbunculi nomine inter authores ambiguitates reperiuntur.

Significationes Carbonis, & Carbunculi apud Latinos.

Vnde Carbonis, & Carbunculi nomen ſit deſumptum.

In principio lib. de Circũciſione.

præſentis morbi ex illis eſt, quæ à ſimilitudine ad aliquid extra poſitum fuere deſumpta, vt explicatis verbis docet Gal. 2. Methodi 2. quo loci Carbonem Græcè ἄνθραξ appellat; quemadmodum & communiter ſolent alij Græci ſcriptores. Vnde nulla inter Anthracem, & Carbunculum intercedit differentia, ſed idem eſt morbi genus. Quod non benè intelligentes ſuperiores Chirurgi, & Medici quidam neoterici in ipſo ſtatim portu (vt adagio fertur) impegerunt, dicentes Anthracem eſſe Carbunculum malignatum, productum à ſanguine craſſo, & ob maximam ebullitionem venenoſo, ita appellatum ab anthra, quod eſt cor: Carbunculum prætereà in Anthràcem deſinere, & alias conſimiles nugas: diſtinxerunt denique vniuſcuiuſque iſtorum tractationem, non abſque maximo artis detrimento. Author iſtius erroris fuit Raſis, qui de Carbunculo egit 7. ad Almanſorem cap.10. de Anthrace vero lib. Diuiſionum, cap.135. Et quod deterius eſt, dum curam Carbunculi proponit, omne ſtudium in ipſius maturatione impendit, nulla Vlceris cruſtoſi mentione facta, nec accidentium, quæ Carbunculos ſolent aſſociare. Scribit ſolum hos ex multo ſanguine, & labore poſt ſaturitatem oriri. Ex quibus omnibus elicio Carbunculum Raſis eſſe furunculum Latinorum; de quo ipſe iterum agit lib. diuiſionum, cap.131. ſub nomine Ademcmil: Anthracem autem verum Carbunculum, vel Bubonem peſtiferum; quia lib. Diuiſionum, cap.135. ſuperius citato ſcarificationem, & inuſtionem probat, ſigna etiam aliqua veri Carbunculi deſcribit, non tamen præcipua, quæ in cap. præcedenti paraphraſticè complexus eſt loquens de Igne Perſico. Alia ex parte, quæ ſcribit Auic. tertia, 4. trac. 1. cap. 17. de Althohoin, ideſt, de Bubone peſtilenti; proponit Raſis, cap. de Anthrace: quod fuit in cauſa, vt quidam Chirurgus turpiter fuerit hallucinatus, dum in ſua Chirugia inſcribit caput de Anthrace, ſiue de Althohoin. Quamobrem iure affirmari poteſt, Raſim Carbunculi, & Anthracis nomine fuiſſe abuſum, & Anthracem apud ipſum eſſe Bubonem peſtilentem; verum autem

Carbunculus Græcè dicitur Anthrax.

Maximus error Chirurgorũ circa nomen.

Erroris iſtius cauſa fuit Raſis, & cur.

Carbunculus Raſis eſt furunculus Latinorũ.

Anthrax Raſis eſt Bubo Peſtilens.

Verus Carbunculus apud Raſim eſt Ignis Perſicus.

Carbunculum Ignem perſicum. Idem dico de Serapione,& Auicen.hic enim tertia quarti trac.primo,cap.9.ſub nomine Prunæ, & Ignis perſici agit de Carbunculo: ex quibus duobus nominibus Pruna reſpicit præcipuè Vlcus cruſtoſum, vt hæc Auicennæ verba declarant. Et abſoluitur nomen Prunæ ſuper illud, quod denigrat locum, & facit morbum habens colorem Carbonis. Ex dictis itaque concludo, Carbunculum, Carbonem, Anthracem,Prunam, & Ignem Perſicum eſſe ſynonyma, & idem prorſus ſignificare: quæ omnia accuratiùs explicaſſe non erit inutile, plurimum enim ad morbi naturam, & curationem, necnon ad rectè intelligendos authores conferunt. Nunc pro complemento iſtius cap. addo,morbum hunc inter antiquos, & ſporadicos debere reponi, aliquando etiam inter Epidemicos, ideſt populariter graſſantes. Nam Hippocratis quoque temporibus publicè graſſari conſueuit, vt 3. in 3.Epid.tex.comm.12.& 50. ac ex primo in 2. Epid. contex. primo colligitur. Hinc eſt, quod non ſatis admirari potuerim Plinium, qui libro vigeſimoſexto Naturalis Hiſtoriæ, cap.primo; Carbunculum peculiare Narbonenſis Prouinciæ malum eſſe docuit, cum ex ſuperius traditis, & in Cranone Theſſaliæ ciuitate, & alibi idem morbi genus iam pridem peruagatum fuerit. Narrat præterea idem Plinius ibidem, morbum iſtum apud Italos nouum eſſe his verbis. L.Paulo, Quinto Martio Cenſoribus primum in Italia Carbunculum veniſſe annalibus conſcriptum eſt,peculiare Narbonenſis Prouincię malum: quo duo Conſulares obiere condentibus hæc nobis. Naſcitur in occultiſſimis corporum partibus,& plerumque ſub lingua, duritie rubens, varijs modis: ſed nigricans capite, alias liuida, corpus incendens, neque intumeſcens: ſine dolore: ſine pruritu: ſine alio quam ſomni indicio, quo grauatos in triduo aufert; aliquando & horrorem afferens, circaque puſtulas paruas, rarius feriens ſtomachum, faceſque cum inuaſerit ocyſſime exanimans. Ex hac ſignorum ſyndrome facile deprehenditur Carbunculum Celſi, & Plinij eſſe

Trac.5 Breuiarii, ca.23.

Carbunculus, Carbo, Anthrax, Pruna, & Ignis Perſicus ſunt ſynonyma.

Carbũculus eſt morbus antiquus aliquãdo ſporadicus, aliquando Epidemicus.

Carbunculus eſt morbus in Italia nouus.

Carbunculus Plinij, & Celſi ſunt ijdem.

vnum

vnum & *idem*. Nam quamuis Celſus paulo accuratius de *iſto* affectu lib. 5. cap. 28. ſcripſerit, parum à Plinij verbis euariat. Vnde neſcio qua ratione ducti quidam Carbunculum Celſi receperunt pro vero, deinde inuexerunt alteram Carbunculi ſpeciem ex Plinio, hanc ex veneno frigido ortum ducere autumantes. Nam Plinius apertè dixit Carbunculum corpus incendere, rubeum eſſe, & alia, quæ omnino caliditatem atteſtantur. Sed quod magis hanc veritatem confirmat, ſunt remedia, quæ à Plinio pluribus in locis proponuntur illis conſentientia, quæ à Galeno, Dioſcoride, & poſterioribus Medicis in medium afferuntur. Illud tamen non negauerim; Carbunculi ſymptomata his noſtris temporibus aliqua ex parte fuiſſe immutata. Etenim Carbunculus oritur vt plurimum, & ferè ſemper in patentioribus partibus, in regione ſcilicet cutanea: ad maximum, ni remedia obſtent, eleuatur tumorem: pruritũ, & dolorem affert aliqñ vix perceptibilem, aliqñ autem inſignem. Cauſſa iſtus immutationis in victus ratione, qua homines hac tẽpeſtate vtuntur, fortaſſe referri debet: plurimum .n. ab antiquorum victu pręſens victus euariat. Vel dici poteſt, Carbunculos tunc temporis iſtius fuiſſe naturæ, vt partis in quam erumpebant, temperiem euertendo, eam ſenſu omnino priuarent. Sed quia de nominibus nihil eruditum in medium, Galeno teſte lib. de arte ad Traſyb. cap. 32. poteſt afferri; videamus, an de rebus aliquid eruditum proponere valeamus.

Error quorundam.

Symptomata Carbunculi nunc immutata, & cur.

CAPVT SECVNDVM.

De Maligni Carbunculi Natura.

NOMINIS conſiderationi non iniuria ſuccedit Naturæ conſideratio; nam vt benè aduerſus hominem Theſſalum 2. Meth. 3. adnotauit Galenus ex Platone, In omni re diſquirenda ſemper ab ipſa rei quæſitæ eſſentia nobis eſt inchoandum. Tractatio erit bipartita, cum ob duas Carbun-

bunculi ſpecies eſſentiali differentia diſtinctas duplicem ipſius eſſentia requirat contemplationem. Datur. n. Carbunculus Peſtilens; datur & non Peſtilens, quem malignum clarioris doctrinæ gratia nũcupabo; tùm quia quamuis vitæ periculum minetur, ſpem ſalutis non adimit, cuiuſmodi affectus malignos nominat Gal. primo Prorrhet. tex. com. 14. tùm quia ab humore maligno, & maligna putredine ortũ ducit. De vtroque diligenti loquar oratione: Ordiar autẽ à non peſtilenti tanquam à ſimpliciori: ſolemnis nanque (inquit Galenus 3. Meth. 4.) veteribus doctrina, quæ vtinam nunc eſſet in vſu, maxime naturalis eſt. Quippe ij ſimplicis cuiuſque affectus propriam curationem dicunt, prçcipuèque omnium Hippocrates. medendi nanque Meth. ad hunc modum belliſſimè procedet, ſi de ſingulis ſimplicibus ſeorſum præceperimus; poſt deinde de compoſitis omnibus alteram aliquam Methodum indicauerimus. De Carbunculi igitur non Peſtilentis natura primo loco dicturus, illud admoneo, me non de interno, ſed de externo diſputaturum. Nanque in partibus quoque non conſpicuis Galeno teſte lib. de Atra bile, cap. 5. & in corporis profundo, ſimiles ijs, qui in cute, affectus gigni ratione non caret, ſi enim bilis flaua in partem quampiam vnam decubuerit, Eryſipelas fiet: ſi nigra Carbunculus, & Cancer, neque vero intima corporis adamantis conſtitutionem obtinent, ſed ea quoque ijſdem affectibus obnoxia ſunt; quod lib. etiam de cibis boni & mali ſucci ab eodem confirmatur. Sed quibuſnam ſignis tam ſæuus noſcetur morbus? & eodem cognito, quænam ad ipſum depellendum excogitari poterit Medicina?

Præcipua Carbunculorũ ſpecies duæ Malignus, & Peſtilens.

Agendũ prius de Maligno, & cur.

Datur Carbunculus internus, ſed hic de externo tantum agitur.

Ne igitur incaſſum laborem, iſto dimiſſo ad externum & Malignum Carbunculum accedo. Cuius generationis modum conciſè, ſed ſatis doctè expreſſit Galenus 2. ad Glauc. 1. his verbis. Cum ſanguis influens calidus ſufficienter extiterit, & craſſus, quodcunque membrorum ſubito occupauerit, hoc comburendo facit vlcus cum cruſta: quidquid vero circumiacet, in inflammationem leuat efferueſcentem, grauemq́,

Generatio Carbunculi.

uemq; dolorem infert. Vocatur autem Carbo huiuſmodi paſſio. Varia apud varios iſtius morbi habetur definitio, mihi hęc placet. Carbunculus eſt vlcus cruſtoſũ cũ totius partis circundatæ inflammatione colorem liuidum referente coniunctum, in partibus corporis externis, à ſanguine atrabilari feruido, & putreſcente procreatum.

Diffinitio Carbunculi.

Traditam definitionem (cõmuniter nunc huiuſmodi vocem accipio, cum vera definitio ſubſtantiæ tantum conueniat) dilucidam, & perſpicuam eſſe, vt decet, eo quod cognoſcendi gratia aſſignatur definitio, nemo, vt arbitror, inficiabitur: Sed facilioris doctrinæ gratia ſingulas eius partes percurram. Vlcus cruſtoſum, & liuida Inflammatio ponuntur loco generis eſt autem Vlcus morbus ex ſoluta vnitate & magnitudine imminuta compoſitus in mollibus partibus ab interno humore corrodente procreatus: qui humor in Carbunculo adeo feruidus eſt, vt cruſtam excitet, quam eſcharam non abſurdo vocabulo Leonicenus nuncupauit. Rectè itaque ipſum definientes diximus eſſe vlcus cruſtoſum. Addidimus Inflammationi coniunctum. Nam, vt in libro de Differentijs morborum cap. 12. colligitur, Carbunculus morbus eſt compoſitus ex vlcere, & tumore conſtans: quæ ita intelligenda ſunt, vt nunquam Anthrax abſque iſtis reperiatur. Omnibus enim inquit Galenus 14. Meth. cap. 10. cruſtoſum Vlcus fit, modo cruſta ipſa cineris colorem referente, modo nigrorem. Omnibus etiam circumpoſita caro ad ſummam peruenit inflammationem. Galeno conſentiunt cœteri Medicinæ ſcriptores, vt in proprijs capitibus videre eſt; excepto Raſi, & illius aſſeclis. Inter quos eſt Guido, qui Carbunculi naturam non eſt rectè aſſequutus, cum dixerit, Carbunculi licet à principio non ſint exulcerati, terminantur vt plurimum ad vlcera. Huiuſmodi erratum eſt in cauſſa, vt aliqui bonorum ſcriptorum cõtemptores nullo cruſtoſo exiſtente vlcere ſępe numero maximo ipſorum dedecore ſolam Inflammationem Carbonem eſſe contendant. Eſt itaque Carbunculus morbus

Carbunculus eſt morbus cõpoſitus:

Error Raſis, Guidonis, & aliorum dicentium Carbunculum ſine Vlcere poſſe conſiſtere.

Qua ratione Carbunculus ſit morbus compoſitus.

bus compoſitus, nam vt videre eſt lib. de Differentijs mor. cap. 12. Exulcerata, atque vna inflammata membra tripliciter naturæ modum egrediuntur, cum ob vlcus quidem vnitatem ſuarum partium amittant, ob inflammationem vero calidiora, & humidiora reddantur, pluſquam naturalis exigit habitus. Denique qui in ipſis eſt tumor, ſi ad tantam magnitudinem attollitur, vt ob hoc ipſum operationem impediat, tunc iam morbus eſt exiſtimandus. Quòd ſi membrum nullam ex hoc patiatur in operatione iacturam, accidens tantummodo, & paſſio conſequitur, veluti & dolor. Omnia igitur, quæ ſimul inflammata, atque vlcerata ſunt corpora, vt euenit in Carbunculo, tres quidem vt plurimum, nonnunquam vero & quatuor ægritudines patiuntur. Poſſet aliquis quærere, cur in allata definitione primum locum Vlceri, ſecundum Tumori aſſignauerim: cum Gal. lib. de Tumoribus præter Naturam, cap. 6. & alij, qui de eadem materia ſcripſerunt, oppoſitum ordinem ſeruauerint. Reſponſio eſt talis: maligna huius affectionis præter naturam qualitas in Vlcere ipſo potiſſimum reſidet, vt ex loco proximè citato elicitur, qua ablata cętera omnia remittuntur accidentia: vnde à cruſtoſo hoc Vlcere Carbonis extincti formam referente Carbunculi nomen deriuatum eſt. Si igitur Vlcus in hac affectione eſt præcipuum, iure cęteris fuit præpoſitum: quod agnouit etiam admirabilis Gal. lib. 5. de Compoſitione Med. per genera, cap. 15. vbi deſcribens Carbunculum ita loquitur Carbunculus Vlcus eſt cruſtam cito cum inflammatione totius partis circundatæ valida faciens. Idem etiam 6. Aph. tex. com. 45. repetit his verbis. Vocatur autem & Anthrax id eſt, Carbo Vlcus cruſtoſum, cui iniungitur multus partiū circunſtantium feruor. Vide lib. Gal. aſcriptum, qui inſcribitur Introductio, ſeu Medicus cap. 15. in fi. Nec obſtat, quod ſcribitur à quibuſdam in Bubonibus, & inflāmationibus niſi ſanguis anticipet digeſtionem putreſcere, atque ita ex inflammatione generari Carbunculos: nam quamdiu dicti tumores vlcere carent nullus vnquam ſanæ mentis Carbunculos appellabit.

Cur Vlcus inflāmationi fuerit prepoſitum.

Tumor ſine Vlcere Carbunculus dici nequit.

R

RAſis nomine carbunculi, & anthracis fuit abuſus 1.4
Repletio, & inanitio 3.140
Reprimentia 3.101
Reprimentia in carbunculo maligno quomodo conueniant 3.101
Reprimentia pro carbunculo etiam peſtilenti 3.124
Reuulſionis leges 3.69
Ridicula Medicorum, & Chirurgorum huius temporis conſuetudo circa quantitatem mittendi ſanguinis 3.66

S

SAnguini atrabilari carbunculorum cauſſæ ſæpe alius humor adiungitur 1.18
Sanguis in anthracibus malignis vſque ad animi deliquium euacuandus 1.65
Sanguine vſque ad ſyncopem euacuato nonnulli in ipſorum medicorum manibus perierunt 3.66
Sanguis in peſtilenti carbunculo moderatè mittendus 3.67
Sanguis in peſtilenti carbunculo aliquando nullo pacto mittendus 3.67
Sanguis in carbunculis artuum vnde mittendus 3.69
Sanguis vnde mittendus dum carbunculus cæteras partes obſidet 3.70
Sacculus pro corde in carbone peſtifero 3.118
Sarcotica carnem generantia 3.97
Scarificationes in quolibet carbunculo conueniunt excepto illo qui oculo inſidet 3.81.119
Scarificationis rectus vſus 3.82
Scarificatio interdum repetenda 3.82
Scarificationes in inflammatione quoque carbunculi probantur 3.105
Serum caprinum tanquam leniens pro carbunculo maligno 3.76
Serum caprinum tanquam alterans pro carbunculo maligno 3.78
Serum caprinum tanquam leniens in peſtilenti carbunculo 3.111
Serum caprinum tanquam alterans in eodem 3.112
Signa aſſidentia maligni carbunculi 2.41
Signa aſſidentia peſtilentis carbunculi 2.44
Signa carbunculi legitimi 2.42
Signa carbunculorum illegitimorum 2.42
Signa peſtilentis carbunculi cum peſte, & ſine peſte 2.47
Somnus, & vigilia 3.140
Somni profundi cauſſæ, & curatio 1.112
Suppurantia in vlcere carbunculi à Gal. omninò excluduntur 3.84
Suppurantia in eodem à Paulo, Dioſcoride, Plinio, & alijs comprobantur 3.84
Suppurantia ab auctore damnantur 3.85
Subiectum carbunculi ſunt partes externæ 1.11
Syrupus de ſcordio Mercurialis 3.112

T

THeriaca in carbunculo maligno probatur 3.79
Theriaca in peſtilenti quoque carbunculo conuenit 3.113
Theriaca in vlcere carbunculi parũ valet 3.107
Trochiſci Andronis 3.89

V

VAriæ circa vlceris carbunculi curationẽ opiniones 3.81
Venæ ſectio tum euacuatoria, tum reuulſoria in carbunculis locum habet 3.61
Venæ ſectionis vicaria 3.78
Veſicantia quando in carbunculis conueniant 3.73
Veſicantium rectus vſus 3.ibid.
Virium iacturæ in carbunculo peſtilenti cauſſa 1.35
Vlceris carbunculi origo 2.40
Vlcus carbunculi maligni fit à ſanguine atrabilari putreſcẽte putredine tertiæ ſpeciei 1.17
Vlcus carbunculi peſtilẽtis fit à ſanguine atrabilari putreſcente putredine excellenti quæ ſimpliciter putredo dicitur 1.33
Vlceris carbunculi curationi ſedulò incumbendum 3.81
Vlceris peſtilentis carbunculi germana curatio eſt ipſa inuſtio 3.121
Vlcus peſtilentis carbunculi per quadraginta dies apertum ſeruari debet 3.122
Vlcera carbunculi peſtilentis, poſt ſeptimum non ſunt amplius contagioſa 3.60
Vlcera cruſtoſa quomodo à carbunculis diſtinguantur 2.48
Vnguentum Aegyptiacum Meſue 3.89
Vng. Aegyptiacum Ioannis de Vico 3.90
Vng. Aegyptiacum aliud Ioannis de Vico validius 3.ibid.
Vng. de ceruſſa improbatur 3.107
Vomitus cauſſæ & curatio 3.135
Vuluæ carbunculi quomodo curandi 3.130

FINIS INDICIS.

M. ANTONII TOSII

MEDICI, ET PHILOSOPHI

De Anthrace, ſeu Carbunculo

SECTIO PRIMA.

Propoſitio dicendorum.

AEGRITVDINVM humano corpori contingentium infinitus penè eſt numerus: omnes tamen ad tres gradus redigi ſolent; inde ratione deſumpta, quod aliquæ ſola auxiliante Natura morborum (vt ait Hippocrates) perfecta curatrice ſanantur: aliquæ pręter Naturæ auxilium Medicam quoque, vt expellantur, opem expoſcunt: aliquæ tandem iſtis etiam omnibus in ſui fauorem conſpirantibus vix, ac ne vix quidem ad bonam frugem redigi poſſunt. In quibus poſtremis Carbunculos eſſe recenſendos, nemo ibit inficias, modo illorum malignitatis conſcius, maximas hominum clades ab ipſis nouerit perpetratas. Si igitur vt ex primo de Victu acutorum

Tres ægritudinum gradus.

Auerroes 3. Colliget 31.

Carbunculus eſt morbus admodũ lethalis.

Medici in tractandis morbis acutis maxime accurati eſſe debent.

Vtilitas iſtius tractatus.

Carbũculus eſt morbus malè a Medicis, & Chirurgis tractatus, & cur.

Tractationis difficultas.

Docendi facilitas.

Ordo dicendorum.

contex 8. dicitur, Medicus ille ſummis efferri debet laudibus, qui in huiuſmodi morbis curandis melius, quam cęteri procedit: ille profectò damnandus minimè eſt, qui ratione duce rectum hunc procedendi modum accuratè deſcribit. Hi enim ad quorum manus ipſius lucubrationes peruenient nullam medicamenti adminiſtrandi occaſionem prætermittent: quæ ſi in alijs morbis præceps eſt, vt ſummus Hippoc. primo Aphoriſmorum primo ſanciuit; in hoc potiſſimum talis eſt iudicanda. Nam frequenter accidit, vt ipſa præter lapſa, de vita ægri penitus ſit actum. Quamobrem operæ precium facturum me eſſe arbitror (ſi per diexedon de Carbunculis in præſentia diſſeram: ſi quis enim reperitur morbus malè à Medicinam facientibus hac tempeſtate tractatus, hic dubio procul (vera loquor) primas obtinet. Cuius euentus occaſio ad nominis, & eſſentiæ morbi ignorantiam, ob varias, implexas, pugnanteſq; ſcriptorum opiniones eſt referenda. Argumentum itaque præſtantiſſimum eſt, multiſque (vt aiunt) paraſangis meum ſuſpirans ingenium. Sed rectè ille quicunque dixit, bona mens ſine Deo nulla eſt, quo auſpice opus aggredior, promittens me ingenue omnia patefacturum, quæcunque hac de re, tum in Schola Patauina didici, tum propria experientia, dum Medicinam feci, oculata fide animaduerti. Tractatio fortaſſe longior erit, nec iniuria. Nam præſens negocium difficile, & operoſum eſt: quamuis enim multi circa ipſum fuerint verſati, nihilominus nemo, quod ego viderim, illud ad viuum reſecauit; ſed potius omnes ſicco (vt aiunt) pertranſierunt pede, ita vt multus remaneat dicendi locus. Quæ igitur ab alijs relicta fuere, cęteraq; omnia ad huiuſmodi argumentum attinentia oratione adeo clara, & dilucida declarare tentabo; vt quilibet vel mediocriter eruditus noſtram doctrinam ſit aſſequuturus. Vniuerſam hanc materiam in tres Sectiones diuidam: in quarum Prima de Carbunculorum natura: in Secunda de illorum cognitione: in Tertia de curatione pertractabo.

CAPVT PRIMVM.

De Nomine.

OMNIS inquiſitionis principium eſt ipſa nominis ſignificatio: ad Carbunculi ergo naturam, & eſſentiam ritè, rectéque delineandam non tantum ob Scriptorum intelligentiam, quomodo iſte morbus à Græcis, Arabibus, & Latinis nuncupetur, ſed etiam propoſiti nominis ethymologiam exponere neceſſe eſt. Quod vt methodicè procedam, in præſenti capite præſtabo: mox ad eſſentiam deſcendam genericè ſumptam: poſtremò vt eadem eſſentia ſpecificè magis dignoſcatur, hac ipſa ſectione de Differentijs diſputabo. De Nomine autem prius acturus admoneo in nullo affectu apud authores circa nomen maiores inueniri ambiguitates: ad quarum illuſtrationem libet primo adnotare, Carbunculo,& Carboni apud Latinos varias ineſſe ſignificationes. Significat enim Carbo propriè prunam extinctam: aliquando etiam ignitam, vt videre eſt apud Plinium lib.18.cap.vlt. Albertus Magnus Coruum aquaticum Carbonem aquaticū nominauit. Carbunculus vero, & pro gemma rubri coloris inter ardentes principatum obtinente; & pro terræ genere; & pro morbo quodam arborum,in quo lacteſcentes germinū oculi à pruina aduruntur, accipitur: vt legere eſt apud Plinium lib.37.cap.7.lib.17.cap.4.& cap.24. Accipitur quoque Carbunculus pro paruo carbone. Denique tam Carbo, quā Carbunculus apud Medicæ artis profeſſores morbi quoddā genus ſignificat, vel quia in ipſo adeſt Vlcus, quod adurit, veluti Carbo incenſus, & pruna. Quam ethymologiam indicauit Philo quoque Iudæus: vel quia eius cruſta carbonis extincti colori aſſimilatur; quas duas ſimilitudines cęteræ etiam acceptiones iam enarratæ reſpiciunt. Nomen igitur

Cur prius de Nomine.

Summa iſtius primæ Sectionis.

Maxima de Carbunculi nomine inter authores ambiguitates reperiuntur.

Significationes Carbonis, & Carbunculi apud Latinos.

Vnde Carbonis, & Carbunculi nomen ſit deſumptum.

In principio lib.de Circūciſione.

præſentis morbi ex illis eſt, quæ à ſimilitudine ad aliquid extra poſitum fuere deſumpta, vt explicatis verbis docet Gal.

Carbunculus Græcè dicitur Anthrax.

2. Methodi 2. quo loci Carbonem Græcè ἄνθραξ appellat; quemadmodum & communiter ſolent alij Græci ſcriptores. Vnde nulla inter Anthracem, & Carbunculum intercedit

Maximus error Chirurgorũ circa nomen.

differentia, ſed idem eſt morbi genus. Quod non benè intelligentes ſuperiores Chirurgi, & Medici quidam neoterici in ipſo ſtatim portu (vt adagio fertur) impegerunt, dicentes Anthracem eſſe Carbunculum malignatum, productum à ſanguine craſſo, & ob maximam ebullitionem venenoſo, ita appellatum ab anthra, quod eſt cor: Carbunculum præterea in Anthràcem deſinere, & alias conſimiles nugas: diſtinxerunt denique vniuſcuiuſque iſtorum tractationem, non

Erroris iſtius cauſa fuit Raſis, & cur.

abſque maximo artis detrimento. Author iſtius erroris fuit Raſis, qui de Carbunculo egit 7. ad Almanſorem cap.10. de Anthrace vero lib. Diuiſionum, cap.135. Et quod deterius eſt, dum curam Carbunculi proponit, omne ſtudium in ipſius maturatione impendit, nulla Vlceris cruſtoſi mentione facta, nec accidentium, quæ Carbunculos ſolent aſſociare.

Carbunculus Raſis eſt furunculus Latinorũ.

Scribit ſolum hos ex multo ſanguine, & labore poſt ſaturitatem oriri. Ex quibus omnibus elicio Carbunculum Raſis eſſe furunculum Latinorum; de quo ipſe iterum agit lib. diuiſionum, cap.131. ſub nomine Ademenil: Anthracem autem verum Carbunculum, vel Bubonem peſtiferum; quia lib. Diuiſionum, cap.135. ſuperius citato ſcarificationem, & inuſtionem probat, ſigna etiam aliqua veri Carbunculi deſcribit, non tamen præcipua, quæ in cap. præcedenti paraphraſticè complexus eſt loquens de Igne Perſico. Alia ex

Anthrax Raſis eſt Bubo Peſtilens.

parte, quæ ſcribit Auic. tertia, 4. trac. 1. cap. 17. de Althohoin, ideſt, de Bubone peſtilenti; proponit Raſis, cap. de Anthrace: quod fuit in cauſa, vt quidam Chirurgus turpiter fuerit hallucinatus, dum in ſua Chirugia inſcribit caput de Anthrace,

Verus Carbunculus apud Raſim eſt Ignis Perſicus.

ſiue de Althohoin. Quamobrem iure affirmari poteſt, Raſim Carbunculi, & Anthracis nomine fuiſſe abuſum, & Anthracem apud ipſum eſſe Bubonem peſtilentem; verum autem

Carbunculum Ignem perſicum. Idem dico de Serapione, & Auicen. hic enim tertia quarti trac. primo, cap. 9. ſub nomine Prunæ, & Ignis perſici agit de Carbunculo: ex quibus duobus nominibus Pruna reſpicit præcipuè Vlcus cruſtoſum, vt hæc Auicennæ verba declarant. Et abſoluitur nomen Prunæ ſuper illud, quod denigrat locum, & facit morbum habens colorem Carbonis. Ex dictis itaque concludo, Carbunculum, Carbonem, Anthracem, Prunam, & Ignem Perſicum eſſe ſynonyma, & idem prorſus ſignificare: quæ omnia accuratiùs explicaſſe non erit inutile, plurimum enim ad morbi naturam, & curationem, necnon ad rectè intelligendos authores conferunt. Nunc pro complemento iſtius cap. addo, morbum hunc inter antiquos, & ſporadicos debere reponi, aliquando etiam inter Epidemicos, ideſt populariter graſſantes. Nam Hippocratis quoque temporibus publicè graſſari conſueuit, vt 3. in 3. Epid. tex. comm. 12. & 50. ac ex primo in 2. Epid. contex. primo colligitur. Hinc eſt, quod non ſatis admirari potuerim Plinium, qui libro vigeſimoſexto Naturalis Hiſtoriæ, cap. primo; Carbunculum peculiare Narbonenſis Prouinciæ malum eſſe docuit, cum ex ſuperius traditis, & in Cranone Theſſaliæ ciuitate, & alibi idem morbi genus iam pridem peruagatum fuerit. Narrat præterea idem Plinius ibidem, morbum iſtum apud Italos nouum eſſe his verbis. L. Paulo, Quinto Martio Cenſoribus primum in Italia Carbunculum veniſſe annalibus conſcriptum eſt, peculiare Narbonenſis Prouinciæ malum: quo duo Conſulares obiere condentibus hæc nobis. Naſcitur in occultiſſimis corporum partibus, & plerumque ſub lingua, duritie rubens, varijs modis: ſed nigricans capite, alias liuida, corpus incendens, neque intumeſcens: ſine dolore: ſine pruritu: ſine alio quam ſomni indicio, quo grauatos in triduo aufert; aliquando & horrorem afferens, circaque puſtulas paruas, rarius feriens ſtomachum, faceſque cum inuaſerit ocyſſime exanimans. Ex hac ſignorum ſyndrome facile deprehenditur Carbunculum Celſi, & Plinij eſſe

Trac. 5 Breuiarii, ca. 23.

Carbunculus, Carbo, Anthrax, Pruna, & Ignis Perſicus ſunt ſynonyma.

Carbunculus eſt morbus antiquus aliquando ſporadicus, aliquando Epidemicus.

Carbunculus eſt morbus in Italia nouus.

Carbunculus Plinij, & Celſi ſunt idem.

vnum

vnum & *idem*. Nam quamuis Celſus paulo accuratius de iſto affectu lib. 5. cap. 28. ſcripſerit, parum à Plinij verbis euariat. Vnde neſcio qua ratione ducti quidam Carbunculum Celſi receperunt pro vero, deinde inuexerunt alteram Carbunculi ſpeciem ex Plinio, hanc ex veneno frigido ortum ducere autumantes. Nam Plinius apertè dixit Carbunculum corpus incendere, rubeum eſſe, & alia, quæ omnino caliditatem atteſtantur. Sed quod magis hanc veritatem confirmat, ſunt remedia, quæ à Plinio pluribus in locis proponuntur illis conſentientia, quæ à Galeno, Dioſcoride, & poſterioribus Medicis in medium afferuntur. Illud tamen non negauerim; Carbunculi ſymptomata his noſtris temporibus aliqua ex parte fuiſſe immutata. Etenim Carbunculus oritur vt plurimum, & ferè ſemper in patentioribus partibus, in regione ſcilicet cutanea: ad maximum, ni remedia obſtent, eleuatur tumorem: pruritũ, & dolorem affert aliqñ vix perceptibilem, aliqñ autem inſignem. Cauſſa iſtus immutationis in victus ratione, qua homines hac tẽpeſtate vtuntur, fortaſſe referri debet: plurimum.n. ab antiquorum victu præſens victus euariat. Vel dici poteſt, Carbunculos tunc temporis iſtius fuiſſe naturæ, vt partis in quam erumpebant, temperiem euertendo, eam ſenſu omnino priuarent. Sed quia de nominibus nihil eruditum in medium, Galeno teſte lib. de arte ad Traſyb. cap. 32. poteſt afferri; videamus, an de rebus aliquid eruditum proponere valeamus.

Error quorundam.

Symptomata Carbũculi nũc immutata, & cur.

CAPVT SECVNDVM.

De Maligni Carbunculi Natura.

NOMINIS conſiderationi non iniuria ſuccedit Naturæ conſideratio; nam vt benè aduerſus *audacis*. hominem Theſſalum 2. Meth. 3. adnotauit Galenus ex Platone, In omni re diſquirenda ſemper ab ipſa rei quæſitæ eſſentia nobis eſt inchoandum. Tractatio erit bipartita, cum ob duas Carbun-

Præcipua Carbunculorũ ſpecies duæ Malignus, & Peſtilens.

bunculi ſpecies eſſentiali differentia diſtinctas duplicem ipſius eſſentia requirat contemplationem. Datur. n. Carbunculus Peſtilens; datur & non Peſtilens, quem malignum clarioris doctrinæ gratia nũcupabo; tùm quia quamuis vitæ periculum minetur, ſpem ſalutis non adimit, cuiuſmodi affectus malignos nominat Gal. primo Prorrhet. tex. com. 14. tùm quia ab humore maligno, & maligna putredine ortũ ducit. De vtroque diligenti loquar oratione: Ordiar autẽ à non peſtilenti tanquam à ſimpliciori: ſolemnis nanque (inquit Galenus 3. Meth. 4.) veteribus doctrina, quæ vtinam nunc eſſet in vſu, maxime naturalis eſt. Quippe ij ſimplicis cuiuſque affectus propriam curationem dicunt, præcipuèque omnium Hippocrates. medendi nanque Meth. ad hunc modum belliſſimè procedet, ſi de ſingulis ſimplicibus ſeorſum præceperimus; poſt deinde de compoſitis omnibus alteram aliquam Methodum indicauerimus. De Carbunculi igitur non Peſtilentis natura primo loco dicturus, illud admoneo, me non de interno, ſed de externo diſputaturum. Nanque in partibus quoque non conſpicuis Galeno teſte lib. de Atra bile, cap. 5. & in corporis profundo, ſimiles ijs, qui in cute, affectus gigni ratione non caret; ſi enim bilis flaua in partem quampiam vnam decubuerit, Eryſipelas fiet: ſi nigra Carbunculus, & Cancer, neque vero intima corporis adamantis conſtitutionem obtinent, ſed ea quoque ijſdem affectibus obnoxia ſunt; quod lib. etiam de cibis boni & mali ſucci ab eodem confirmatur. Sed quibuſnam ſignis tam ſæuus noſcetur morbus? & eodem cognito, quænam ad ipſum depellendum excogitari poterit Medicina?

Agendũ prius de Maligno, & cur.

Datur Carbunculus internus, ſed hic de externo tantum agitur.

Generatio Carbunculi.

Ne igitur incaſſum laborem, iſto dimiſſo ad externum & Malignum Carbunculum accedo. Cuius generationis modum conciſè, ſed ſatis doctè expreſſit Galenus 2. ad Glauc. 1. his verbis. Cum ſanguis influens calidus ſufficienter extiterit, & craſſus, quodcunque membrorum ſubito occupauerit, hoc comburendo facit vlcus cum cruſta: quidquid vero circumiacet, in inflammationem leuat efferueſcentem, graucmq́,

uemq; dolorem infert. Vocatur autem Carbo huiuſmodi paſſio. Varia apud varios iſtius morbi habetur definitio, mihi hęc placet. Carbunculus eſt vlcus cruſtoſū cū totius partis circundatæ inflammatione colorem liuidum referente coniunctum, in partibus corporis externis, à ſanguine atrabilari feruido, & putreſcente procreatum.

Diffinitio Carbunculi.

Traditam definitionem (cōmuniter nunc huiuſmodi vocem accipio, cum vera definitio ſubſtantiæ tantum conueniat) dilucidam, & perſpicuam eſſe, vt decet, eo quod cognoſcendi gratia aſſignatur definitio, nemo, vt arbitror, inficiabitur: Sed facilioris doctrinæ gratia ſingulas eius partes percurram. Vlcus cruſtoſum, & liuida Inflammatio ponuntur loco generis eſt autem Vlcus morbus ex ſoluta vnitate & magnitudine imminuta compoſitus in mollibus partibus ab interno humore corrodente procreatus: qui humor in Carbunculo adeo feruidus eſt, vt cruſtam excitet, quam eſcharam non abſurdo vocabulo Leonicenus nuncupauit. Rectè itaque ipſum definientes diximus eſſe vlcus cruſtoſum. Addidimus Inflammationi coniunctum. Nam, vt in libro de Differentijs morborum cap. 12. colligitur, Carbunculus morbus eſt compoſitus ex vlcere, & tumore conſtans: quæ ita intelligenda ſunt, vt nunquam Anthrax abſque iſtis reperiatur. Omnibus enim inquit Galenus 14. Meth. cap. 10. cruſtoſum Vlcus fit, modo cruſta ipſa cineris colorem referente, modo nigrorem. Omnibus etiam circumpoſita caro ad ſummam peruenit inflammationem. Galeno conſentiunt cœteri Medicinæ ſcriptores, vt in proprijs capitibus videre eſt; excepto Raſi, & illius aſſeclis. Inter quos eſt Guido, qui Carbunculi naturam non eſt rectè aſſequutus, cum dixerit, Carbunculi licet à principio non ſint exulcerati, terminantur vt plurimum ad vlcera. Huiuſmodi erratum eſt in cauſſa, vt aliqui bonorum ſcriptorum cōtemptores nullo cruſtoſo exiſtente vlcere ſępe numero maximo ipſorum dedecore ſolam Inflammationem Carbonem eſſe contendant. Eſt itaque Carbunculus morbus

Carbunculus eſt morbus compoſitus.

Error Raſis, Guidonis, & aliorum dicentium Carbunculum ſine Vlcere poſſe conſiſtere.

Qua ratione Carbunculus ſit morbus compoſitus.

bus compoſitus, nam vt videre eſt lib. de Differentijs mor. cap. 12. Exulcerata, atque vna inflammata membra tripliciter naturæ modum egrediuntur, cum ob vlcus quidem vnitatem ſuarum partium amittant, ob inflammationem vero calidiora, & humidiora reddantur, pluſquam naturalis exigit habitus. Denique qui in ipſis eſt tumor, ſi ad tantam magnitudinem attollitur, vt ob hoc ipſum operationem impediat, tunc iam morbus eſt exiſtimandus. Quòd ſi membrum nullam ex hoc patiatur in operatione iacturam, accidens tantummodo, & paſſio conſequitur, veluti & dolor. Omnia igitur, quæ ſimul inflammata, atque vlcerata ſunt corpora, vt euenit in Carbunculo, tres quidem vt plurimum, nonnunquam vero & quatuor ægritudines patiuntur. Poſſet aliquis quærere, cur in allata definitione primum locum Vlceri, ſecundum Tumori aſſignauerim: cum Gal. lib. de Tumoribus præter Naturam, cap. 6. & alij, qui de eadem materia ſcripſerunt, oppoſitum ordinem ſeruauerint. Reſponſio eſt talis: maligna huius affectionis præter naturam qualitas in Vlcere ipſo potiſſimum reſidet, vt ex loco proximè citato elicitur, qua ablata cętera omnia remittuntur accidentia: vnde à cruſtoſo hoc Vlcere Carbonis extincti formam referente Carbunculi nomen deriuatum eſt. Si igitur Vlcus in hac affectione eſt præcipuum, iure cęteris fuit præpoſitum: quod agnouit etiam admirabilis Gal. lib. 5. de Compoſitione Med. per genera, cap. 15. vbi deſcribens Carbunculum ita loquitur Carbunculus Vlcus eſt cruſtam cito cum inflammatione totius partis circundatæ valida faciens. Idem etiam 6. Aph. tex. com. 45. repetit his verbis. Vocatur autem & Anthrax id eſt, Carbo Vlcus cruſtoſum, cui iniungitur multus partiũ circunſtantium feruor. Vide lib. Gal. aſcriptum, qui inſcribitur Introductio, ſeu Medicus cap. 15. in fi. Nec obſtat, quod ſcribitur à quibuſdam in Bubonibus, & inflãmationibus niſi ſanguis anticipet digeſtionem putreſcere, atque ita ex inflammatione generari Carbunculos: nam quamdiu dicti tumores vlcere carent nullus vnquam ſanæ mentis Carbunculos appellabit.

Cur Vlcus inflãmationi fuerit præpoſitum.

Tumor ſine Vlcere Carbunculus dici nequit.

pellabit. Id optime aſſequutus eſt Gal.& idcirco lib. de Differentijs morborum, cap.12. hæc habet. Carbunculi eam naturam poſſident, vt ſine Vlcere conſiſtere nequeant. Idem repetit ſecundo de Humoribus tex.com.26. Vlcus itaque cruſtoſum eſt illud quod præcipuè dat eſſe Carboni. hinc eſt, quod Author lib. Definitionum Medicarum ipſum definiens dixit tumorem eſſe vlceroſum. Pręſtat tamen Vlcus ipſum in definitione anteponere, tum ob allatas rationes, tum quia exorientibus Carbunculis vlcera cruſtoſa à principio ſub aſpectum cadunt, rarius verò tumores, qui ita ſunt aliquando exiles, vt vix appareant.

Tumor in principio Carbunculi vix apparet.

De inflammatione.

Quotuplex ſit inflammatio.

Nomen inflammationis diuerſimodè ab Authoribus vſurpatur,& primò, vt narrat Gal.lib.ſecundo ad Glau. cap.primo, duæ præcipuæ inflammationis ſunt differentię, humida, & ſicca: ſicca quidem, quando, nullo humore influente calor naturalis efferueſcit: humida verò quæ ex calida fluxione membrum occupante contingit, cuius plures enumerantur ſpecies pro cōfluentis humoris varietate: v. g. ſi ſanguis fluat Phlegmone dicitur: ſi bilis Eriſipelas. Humida quidem eſt inflammatio, quæ Carbunculo connectitur, ſed neque à puro ſanguine, neque à ſyncera bile, nec ab alijs humoribus, eſt à ſanguine efferueſcente, ac atræ bilis naturam ſapiente concitatur. Inde fit, quòd huiuſmodi inflammatio, nec Eryſipelatis, nec Phlegmones colore aſpicitur, ſed vt habemus 14. Meth. cap.10. nigrior eſt, veluti ſi pluſculo rubro minus nigri permiſceas. Neque tamen color liuidus,& opacus eſt, ſed habet aliquid ſplendens, vt bitumen & pix. Omiſi in allata definitione puſtulas, nam etſi frequenter accidit, vt aliquando vna, aliquando plures Carbunculo coniungantur puſtulæ, hoc tamen non eſt perpetuum, immo Gal. loco nuperrime citato refert, Carbunculos, qui per Aſiam populariter ſunt graſſati, etiam citra puſtulas, ſtatim excoriata cute, erupiſſe, deficientibus, ſcilicet tenuibus humiditatibus, quæ puſtularum ſunt in cauſa. At illud, quod alicui non ineſt ſemper, non eſt ſecundū eius ſubſtantiam, neque per ſe,& propterea

Qualis ſit inflāmatio Carbunculi.

Cur in Definitiōe omiſſæ ſint puſtulæ.

ex Philoſophi decreto ſecundo Poſteriorum cap. 14. definitiones ingredi minime poteſt.

Prima definitionis parte ad genus attinente ſic declarata ad ſecundã venio, quæ Carbunculis ſubiectam exprimit materiam: Cum enim in definitionibus accidentium genus ſe habeat loco formæ, & formæ accidentales neceſſario ſubiectis inhæreant, iure ſermoni de forma ſuccedit ſermo de materia, in qua collocatur. Subiectum ergo Carbunculi ſunt partes externæ: per partes externas omnes illas accipio, quę ſenſibus ſubijciuntur, & præcipue regionem cutaneam, ad quam ſic natura operante, humores praui ſæpe ſæpius detrudũtur, vt ſcitè admodum declarauit Gal. 3. de Temperam. 3. Eius verba ſunt hæc. Gignitur enim non raro alijs ex vitioſo cibo], alijs ex quapiam in ipſo corpore corruptela, & putredine vitioſus ſuccus, quam cacochymiam vocant, ijs aliquando interiorum quoque aliquid exulceratur, magna tamen ex parte cutis, quoniam in hanc excrementa, quæ in habitu corporis colliguntur, Natura expellit, multis, & aſſiduis Vlceribus afficitur: quippe Cancri, Phagedenæ, Herpetes erodentes, Carbunculi, & quæ Chironia, & Telephia vocãtur, milleq; alia Vlcerum genera ab huiuſmodi cacochymia naſcuntur. Nec tamen caro muſculoſa membranæ, & nerui à tam immani labe ſunt immunes, immo ſæpe accidit, vt Carbunculus non tantum cutem, ſed iſtas quoque partes obſideat, vt videre eſt apud Paulum, lib. 4. cap. 25.

De Subiecto Carbunculi.

Subiectum Carbunculi quale.

Hæc cum ſubiectam materiam optime deſignent, ad cauſſæ efficiẽtis explanationem accedo. Etenim quamuis ea, quæ hucuſque dicta ſunt, ad eſſentialem, ſeu quidditatiuam, vt Scholæ loquuntur definitionem effingendam ſufficiant, quæ ex forma, & materia, ſubiecto ſcilicet, conſtat: iſtis tamen nõ obſtantibus, quia, vt inquit Auerroes in fine 6. commentarij lib. 2. Poſteriorum, quando ad quæſtionem, quid eſt, reſpondetur talis definitio eſſentialis, animus quærentis non conquieſcit, & præſertim animus viri ſapientis. quando enim quidditas pendet ab alia externa cauſſa, animus in quiddita-

De cauſa efficiente Carbunculi.

tis cognitione non conquieſcit, niſi cauſſam quoque noſcat
eius quidditatis: de cauſſæ propoſitam ægritudinem efficien
tis natura ſcientificè pertractare intendo. Quod eo libentius
faciam, quia neminẽ video ex Neotericis eam perfectè expli

Authoris libri de affectionibus erratum.

caſſe: immo nec Hipp. ſi liber de affectionib. illius eſt genui-
nus qđ non approbo. Ibi enim hæc habentur: fauus, & Stru-
mæ, & Pani, & furunculi, & Carbunculi à pituita fiunt. Po-

Efficiẽtis Carbũculi cauſſa duplex.

ſitum ergo in definitione fuit à ſanguine atrabilari, tum
feruido, tum maligna putredine putreſcente procreatũ. Quæ
verba, ſi diligentius animaduertantur, duplicem proponunt
cauſſam, ſanguinem ſcilicet atrabilarem feruidum, & ſan-
guinem atrabilarem maligna putredine affectum. Ratio hu-
iuſce rei inde deſumitur, quod duplicẽ in Carbunculo agno-
ſcimus morbum, tumorem inflammatorium, & Vlcus cruſto-
ſum hos, cum maxime differant, vt præter alia, ipſa curatio
demonſtrat, ab eadem cauſſa concitari repugnat. Quod non
animaduertentes nonnulli, qui de hac materia ſcripſerunt,

Aliqui vnã tãtum, & malè poſuerunt.

vnam tantum attulerunt cauſſam, ſanguinem nempe feruen-
tiſſimum. Verum vt noſtræ opinionis veritas clarius eluce-
ſcat, paullo altius exordiri lubet. Humor melancholicus

Melãcholici humoris ſpecies.

duplex eſt, naturalis, & præternaturalis, illum veteres, vt no-
tauit Gal. 2. de Naturalibus facultatibus 9. atrum ſuccũ, hunc
atram bilem nominarunt, quo vocabulo omnem comprehen
dunt humorem, qui ex vſtione quadam, vel putreſcentia in
acidam migrauit qualitatem. Ex atro ſucco, id eſt ex melan-
cholia naturali, quæ nil aliud eſt, quam fęx ſanguinis, fiunt
Scirrhi. Ex atra bile, cum in plures partiatur differentias,
particulares, diuerſiq; generis extrinſecus generantur affe-
ctus. Præcipuę huius atræ bilis ſpecies quatuor ab Auicẽna
prima primi doc. 4. cap. 1. enumerantur. prima quarum ex bi-
le, ſecunda ex pituita, tertia ex melancholia naturali, quarta
ex ſanguine procreatur: modus huiuſmodi procreationis eſt

Atra bilis ex ſuperaſſatione pituita non datur cõtra Auic.

propoſitorum humorum aduſtio, & ſuperaſſatio. Sed iſtud
Auic. de quatuor atræ bilis ſpecitbus placitum eſt ſuſpectũ
propter pituitam, quæ cum ſit aqueæ ſubſtantiæ non videtur

vſtioni apta, etſi eſſet, tranſitus de extremo ad extremum, non poteſt fieri niſi per media; & idcirco antequam euadat atra bilis, tranſmutabitur in flauam, aut nigram. Dicamus itaque cum Galen. & alijs doctiſſimis viris tres eſſe atræ bilis ſpecies, ex bile, ex melancholia, vt ex ſanguine. A prima, quę ex bile conſtat, Cancri exulcerati generantur. A ſecunda, quæ ex melancholiæ naturalis ſequitur aſſatione, ſi aſſatior leuior ſit, Cancri primum non vlcerati ortũ ducunt, qui progreſſu tẽporis exulcerati fiunt. Quæ omnia perbelle ex cap. 4. lib. de Atra bile colliguntur, vbi de humore atrabilari hæc habentur verba. Cum autem ſolus, impermixtuſq; principio nigrum tumorem efficit, deinde in Cancrũ nominatum ſpatio temporis deſinit; vtiq; cutem exedendo, cum acrior, contumaciorq; fuerit; cum mitiuſculus eſt, ſine vlcere Cancrum latentem, vt vocant, producit. Acrior contumaciorq; atra bilis redditur, ſi de illa ſermo ſit, quæ à melancholia naturali prouenit, tum ob vehementem aſſationem, tum ob putredinem ſibi contingentem, poſtquam diutius in vaſis impacta permanſerit: ita ex Cancro non vlcerato, quem occultum aliqui dicunt, ad Cancrum vlceratum fit tranſitus. Alia vero atra bilis, quæ ex bile ſuperaſſata producitur etiam abſq; putredine iam dicta deterior eſt: vnde ſi ſyncera ſit, etiã à principio Cancrum exulceratum gignit. Peſſimam iſtius naturã expoſuit Gal. 3. eiuſdem lib. cap. inquiens, atram bilem, quæ fit ex melancholiæ naturalis aſſatione exitialem eſſe, multo autem perniciosiorem cenſendam eam bilem atram, quæ à flaua bile ſuperaſſata progignitur, quanto nimirum, & humor humore efficacior, ac validior eſt, nempe flaua bilis, quam ea, quæ veluti ſanguinis ſubſidentia exiſtit. Ab vltima denique atræ bilis ſpecie, quæ exuſti ſanguinis ſoboles eſt, affectio de qua nunc agimus, Carbunculus, ſcilicet ipſe producitur: ad quod reſpiciens Gal. lib. de atra bile, cap. 4. decreuit Carbones à calidiore humore, quam Cancro progigni. Iſtam efficientem Carbunculi cauſſam ſatis doctè expreſſit Aetius Serm. 14. cap. 58. dum dixit, Carbunculi à ſanguine atrabilario

Atræ bilis ſpecies ſunt tres.

Qui Tumores ex qualibet Atræ bilis ſpecie generentur.

Quomodo Cancer non vlceratus euadat vlceratus.

A qua atræ bilis ſpecie Carbunculus generetur.

rio efferuente, & ad partem aliquam irruente generantur. Aetio ſubſcribit Guido trac. 2. doctr. prima, cap. 2. his verbis: huius cauſſa eſt ſanguis groſſus ſemibullitus. Sed ante iſtos Diuiniſſimus Galen. lib. 2. de Diff. febrium, cap. 9. idem aſſeruit, modum docens, quo ſanguis in atram degenerat bilem: illius dictio talis eſt: Quod ſi ſanguis ſupra modum aſſetur, pars eius ſubtilior, & pinguior omnino in flauam conuertitur bilem, quæ autem craſſior in atram, quod in his tumoribus, qui Carbunculi appellantur, contingit: nam ex his ex ſanguine ſupra modum efferueſcente ad atræ bilis humorem fit tranſmutatio. Verum enimuero, quia aliquis ſibi perſuadere poſſet, ab exquiſita atra bile Anthracem fieri, ſubiungit ſtatim Galenus. Ita autem accipi volo atræ bilis humorem, vt qui nondum exquiſitæ in atræ bilis naturam tranſierit, ſed in quodam confinio ſit conſtitutus. Cuius dicti rationem crediderim eſſe talem: manifeſtum eſt, Carbunculum à calidiſſimo humore fieri, at ſanguine in atram bilem exquiſitè tranſmutato, tantum abeſt, vt calidiſſimus ſit, vt potius partes habeat frigidiores. Teſtatur id manifeſtè cap. 2. lib. 3. de cauſſis ſympt. vti hæc leguntur verba. Ex ſanguine immodicè cocto, & feruente veluti cinis quidem nigra bilis efficitur; frigida quidem, eo quod terrea; caloris autem particeps ſicut cinis, & acetum. Igitur non ab atra bile in facto eſſe, ſed in fieri, à ſanguine videlicet ad atram bilem tranſeunte, qui feruidiſſimo, & calidiſſimo eſt, Carbunculus naſcitur.

Carbunculus non fit ab atra bile exquiſita

Contrarium Auicen. 3. quarti tract. 1. cap. 9. tradidit, ibi enim de pruna, & igne perſico ſermonem habens iſta profert verba. Vnumquodque iſtorum eſt de cholera citrina adurente, permiſta Melancholiæ. Quæ opinio (vt ingenue fatear) recipienda non eſt, tum propter allatas rationes, tum etiam quia cum à ſimplici Melancholia, Scirrhi; à Melancholia autem, & Bile ſuperaſſatis Cancri proueniant, fieri non poteſt, vt ab iiſdem humoribus eodem modo ſe habentibus alia penitus diuerſa concitetur affectio. Nec eſt, vt aliquis Arabum doctrinæ addictus pro Auic. adducat, ipſum non loqui de cho-

Error Auicennæ dicētis Carbunculum fieri a cholera

lera

lera citrina in atram bilem conuerſa; ſed de cholera admodũ ex calefacta, & efferuente, & ob id nõ dixiſſe aduſta,ſed adurente. Quoniam,hoc etiam conceſſo, ſcriptor iſte alioquin præſtantiſſimus ab erroris nota haud vindicari poteſt: conſtat enim à feruidiori bile Herpetes, Phagedęnas, aliaq; de mum huius naturæ vlcera fieri. Auicen. igitur ſententia dimiſſa iam propoſitam ſequamur,quæ à Gal.non tantum loco proximè citato 2 de differentijs febr.cap.9.ſed lib.de Tumoribus,cap.6. 2.ad Glauc. cap.primo, 14.Meth.cap.10. 3. in 3.Epidemiorum tex.com.34.& alibi proponitur. Et quamuis lib. de atra bile, cap.4.legatur, Carbonem fieri ab humore melancholico, hoc ita intelligendum, vt iam adductis locis fuit ab eodem Galeno declaratum, & ab alijs poſterioribus vnanimi ferè conſenſu receptum.

Herpetes, & Phagedena, a quo humore fiant.

Plerique tamen, vt dixi, in hoc defecerunt, quod nullam inter vlceris cruſtoſi & inflammationis cauſſam differentiam agnouerunt. Nos autem dicimus,immediatam inflammationis cauſſam, Sanguinem atrabilarem feruidum exiſtere, quod ex calore, & colore ipſo quilibet dignoſcere poteſt. Cruſtoſum verò vlcus ab eodem ſanguine atrabilari feruido, ſed putreſcente factum cum Galen. & ratione ipſa ſuſtinemus Gal. profecto pluribus in locis huiuſmodi veritatem promulgauit, & præſertim primo Epidem.primq;.2.de Præſag.ex pulſibus primo, & 3. de Temperamentis 3. quem locum proximè attulimus. Quamobrem optimè in Carbunculis reperiri putredinem cognouit Gal. quod à paucis animaduerſum fuiſſe video,qui pauci non declararunt,an in Vlcere ſolo putredo contineatur, an in toto Carbunculo. Id tanquam maximè curationi conferens nos iam in medium attulimus, dicendo putredinem hanc ad cruſtoſum vlcus attinere, ad cuius rei comprobationem ſic ratiocinor. Illa pars in Carbone putredine afficitur, quæ carnem circũſitam corrumpit, ſed vlcus cruſtoſum carnem circumſitam corrumpit, ergo vlcus cruſtoſum putredine afficitur, non inflammatio. Maior propoſitio, in illo celebrato axiomate fundamentum

Cauſſa inflammationis, & cauſſa vlceris ſunt diuerſa.

Vlcus Carbunculi fit a ſanguine atrabilari feruido, & putreſcente.

habet,

habet, quod à putrido tangitur, putridum fit. Minor verò cuilibet, vel mediocriter in Artis operibus verſato, cognita, adeo eſt, vt alia non egeat probatione. Quod ſi quis prædictæ argumentationi fidem non præſtet, is adeat, cap. 2. lib. 2. ad Glauco. vbi hæc litteris ab admirabili Gal. conſignata reperiet. Summatim verò hæc te cognoſcere oportet, quod omne vlcus ſiue ſponte, ſiue ex accidenti exiccari deſiderat medicamento (vt inquit Hippoc.) non aſpero, hoc eſt mordente, neque vehementer irritante, præterquam vbi malignum, & cum putrilagine fuerit: talia enim acriora expetunt medicamina, & quæ ignis vires habet, qualis eſt miſy, & chalcites, & Arſenicum, & Calx, & Sandaracha: etenim non aliter, quā ignis adurunt medicamenta huiuſmodi. Eadem ratione, & his, qui Carbones appellantur, ſuper ipſam cruſtam, vbi præcipuè membrum putrefit, huiuſcemodi medicamentorum eſt natura conueniens, non tamen loca circumiacentia tangere expedit. Ex quibus luce meridiana clarius eſt, Gal. noſtræ fauere opinioni, iſtiuſq; putredinis, de qua nunc ſermo eſt, facere mentionem, dum Carbunculi vlcus malignum, & putrilaginoſum ſtatuit: quæ verba ita ſunt interpretanda, vt malignum putrilagini copuletur; neque enim in propoſito vlcere aliud reperitur, cui nomen maligni principalius competat ipſa putredine.

Eſt igitur vlceris iſtius cauſſa maligna putredo, quam ſi quis ſordidam, vel profundam, vel corruptiuam, vel venenatam nuncupet nullo pacto ſuccenſeam, neque enim de nominibus altercari mihi eſt in animo, dummodo rei natura probè intelligatur, quam luculentiſſime declarauit Gal. lib. primo, de differentijs febr. cap. 6. Ex quo loco colligitur, præcipuas putredinis ſpecies duas eſſe maxime oppoſitas, quarum prima putredo ſecūdum quid, ſecunda putredo ſimpliciter nuncupatur. Differunt hę duæ putredinis ſpecies agente, & fine: agente, quia putredo ſecundum quid fit à natura, calore inquam natiuo calorem extraneum, & præternaturalem ſuperante: putredo autem ſimpliciter fit à calore præternaturali

Species putredinis ex Galeno.

vincen-

vincente fine, nam illius finis eſt cuiuſdam materiæ generatio, puri proportione reſpondens, ſubſidens in Vrinis: iſtius vero inquinamentum quoddam cuiuſq; coctionis expers, & quocumq; natiuo calore priuatum, nam ea uis, cui coquendi officium eſt demandatum, adeo imbecillis facta eſt; vt nullam amplius facere poſſit in putreſcente ſuperfluitate ad optimam tranſmutationem. Adhuc, & tertia datur putredinis ſpecies exiſtis ambabus ſimul coniunctis: quæ vario modo ſe habet, prout vnius, vel alterius maior adeſt portio. Quomodocunq; ſit, putredo ſecundum quid benigna putredo eſt, & facili negotio ad naturalem ſtatum reducitur; at putredo ſimpliciter deterrima eſt, & naturæ gratiam amplius recipere nequit. Tertia, quæ exhis conſurgit, diuerſimode ſe habet; & varijs nominibus circumſcribitur, pro vt nunc magis ad benignam, nunc magis ad oppoſitam vergit putredinem. Iſtis hoc modo explanatis, de Carbunculo non Peſtilenti ita ſentiendum, putredinem ipſum procreantem, cum maligna ſit, non tamen in ſummo, ſub illa ſpecie contineri, quam tertiam nuncupauimus. Hoc autem non abſolutè accipiendum, quia ſub iſta ſpecie diuerſi putredinis continentur modi, prout maior, vel minor natiui caloris eſt imbecillitas, & putreſcens materia magis, vel minus vitiata: quorum modorum omnium ille peſſimus eſt, in quo maior adeſt Naturæ imbecillitas, & putreſcens ſuccus eſt deterior. Ab hoc poſtremo putredinis modo ſanguis atrabilaris correptus Carbonem efficit non peſtilentem: vnde & ſi in ipſo non ſpernenda adſit malignitas, attamen ſummum gradum non attingit, vt ex superuenientibus ſymptomatibus colligitur: ſciendum tamen malignitatem hanc ex atra quidem bile (vt Galeno ait) prouenire, at multo magis ab enarrata putredine. Nec dicat hic Argutulus, Gal. in Carbone tantum peſtifero putredinem agnouit, quia in explicatione contex. 12. 3. in tertium Epide. Ora aphtis vitiata pudenda tuberculis, lippitudines, Carbunculi: ſic ait: Singuli hi affectus ferè non ſunt cacoethes, vti de Sacro igne diximus paullo ante, non nunquam verò etiam ſunt cacoethes, vti nunc, quod putridus eſſet, qui abundabat humor. Ecce ignor

Vlcus Carbunculi fit à putredine tertia ſpeciei.

Galenus in quocunq; Carbunculo putredinē agnouit.

quod non omnes Carbunculi, ſed peſtilentes tantum ſunt cacoethes, cuiuſmodi in cōſtitutione illa peſtilenti graſſabantur. Paucis ſatisfacio. Addit Gal. illam vocem ferè propter Carbunculos, nam Eriſipelas, pudendi tubercula, & lippitudines abſque putredine quoq́, conſiſtere nulli dubium. De Carbunculis ſecus enunciandum, nam perpetuo, vt ipſe paullo inferius ſubdit, ex vitioſis conſtat humoribus. Locus itaque adductus noſtræ potius adſtipulatur opinioni, oſtenditq́; Carbunculos perpetuo à putredine aſſociari. Quę putredo eſt in cauſſa, vt Carbunculus ſit deterior Cancro. Parcat mihi doctiſſimus Valeſius, cuius opinionem euentus ipſe ſatis ſuperq́; redarguit, cum Carbunculos quatuor, aut ſeptem dierum ſpacio homines occidere, Cancros vero tum cum vlcere, tum ſine vlcere pluribus annis perdurare frequenter conſpiciamus. Iure itaque ſuperius decreuimus totam ferè Anthracis malignitatem in vlcere conſiſtere, quod tum ex alijs, tum ex hoc aperte dignoſcitur, quod peſſima materia in illo exiſtente ignitis ferramentis, aut exedentibus, aut maxime exiccantibus pharmacis ablata, ſanatur morbus, & alterius nō ſerpit corruptio, ita vt vel ex ipſius curationis euentu poſitionis noſtræ veritas comprobetur, quam alij Gal. excepto nullo pacto agnouerunt.

Carbunculus eſt deterior Cācro.

Puſtularū Carbonis cauſſa.

Cæterum ſanguini feruido, & putreſcenti iam dicto non nulle, vt ſuperius ad notaui, tenues humiditates, ſeu putridi, & bilioſi ichores frequenter iunguntur; à quibus, vt habemus ſecundo ad Glau. cap. primo puſtulæ quædam perſumma cutis excitantur, ſimiles ijs, quæ ex igne fiunt, quibus diſruptis cruſtoſum vlcus reperitur: accidit non nunquam, vt puſtula tantum vna oriatur. Omnino quamuis Carbunculus ſine vlla puſtula incipere poſſit, tamen plerunque cum puſtula naſcitur, vt quotidiana demonſtrat experientia, & ratio eſt, quia vt habetur libro de differentijs morborum capitulo 12. rariſſimè humores puri, & ſinceri affluunt. Immo præter tenues humiditates, & bilioſos ichores adiungi frequenter Carbunculo ſolet aliquis alius humor: vnde quemadmodum phlegmone, & Eryſipelas rarò exquiſita conſpiciuntur, cum ſæpe fiat, vt vnumquodq́; ipſorum

Sanguini atrabilari Carbunculorum cauſſa ſæpe alius humor adiungitur.

præ-

præter proprium humorem alium habeat adiunctum, vt ibidem docet Galenus, idem quoque frequenter Carbunculis accidit, eſtq; in cauſſa, vt imperitorum vulgus ſæpe decipiatur. Coniungitur enim ſanguini atrabilari melancholicus humor, bilis flaua, vitellina, iſatodes, porracea, cęrulea, æruginoſa; ipſa denique pituita. Agnouit bilis ad miſtionem optimè Paulus libro quarto capitulo 25. & id circo ſcripſit Carbunculi inflammationem Eryſipelatis naturam aliquando referre. De quibus omnibus admixtionibus dignoſcendis dicetur in ſermone de ſignis cumulatiſſimè.

Nunc, quia locus hic expoſtulat, vt primum Antecedentes cauſſas, mox eas, que Perincipientes, & Procatarcticæ vocantur, illas internas, has externas ſecunda Meth. quinta vocat Galenus conſideremus de vtriſq; breui agamus oratione. Per Antecedentes cauſſas, tum ſanguinem atrabilarem qui locum affectum adhuc non attigit, intelligo, tum cauſſas illas, quæ in corporis partibus exiſtentes ſanguinem iſtum atrabilarem cumulant, & iam cumulatum ad affecta loca demandant. Cumulant quidem calida ſiccaq; totius corporis, vel Iecoris intemperies, vt ex capitulo quarto lib. de Atrabile elicitur: eo magis ſi aliquod ſit in liene vitium ſanguinis melancholici attractionem impediens. Cumulat quoque conſueta aliqua ſuppreſſa ſanguinis euacuatio, vel menſtrualis, vel hæmorrhoidalis. Cumulatum ſanguinem iſtum prauum robuſta internarum partium expultrix ad partes cutaneas tanquam debiliores demandat, vt locus ex tertia de Temperamentis tertia iam allatus declarat, vnde fluxio in hoc affectu potiſſimum ab impulſione prouenit: non tamen negauerim calidas, & dolentes partes prædictam materiam attrahere poſſe. Sed hinc parum conſiſtere oportet, & conſiderare, cur Venæ, & præſertim internæ ſanguinem iſtum atrabilarem feruidum, & putreſcentem continentes ab illius acrimonia non labefactentur, immo erodantur? Rationem crediderim eſſe talem. Facultatis expultricis validæ partes ſunt, materias copia, & qualitate peccantes citiſſime è corpore exturbare, vel ſaltem ad cutem tanquam ad ignobilem partem, & totius corporis emunctorium tranſmittere.

Quæ ſint Carbunculi cauſſæ Antecedentes.

Fluxio in Carbunculo potiſſimum fit ab impulſione.

Cur ſanguis atrabilaris internas uennas non labefacit.?

Dum itaq; ſanguis atræbilis naturam induit, dum putreſcere incipit, priuſquam internas partes lædat, ab illa ad cutem demandatur, vbi cum calor natiuus multo hebetior ſit, deteriorem putreſcendo qualitatem acquirit. Hinc poſtea cutem vrit, inflammat, depaſcitur.

De Cauſſis Carbunculi Procatarticis.

Venio iam ad Procatarcticas, quæ aliquando Solæ, aliquando antecedentibus coniunctæ tam prauam generant materiam. Rediguntur cauſſæ iſtæ ad ſexus non naturales, inter quas primo ſe ſe offert regio; Anni tempus, & conſtitutio ipſa, vel impenſe calida, & aliquo pacto humida, vel humida tantum: propter quam ſolam qualitatem Cranon, vt refert Galenus primo in primum Epide primo morbis putridis, vt Carbunculis infeſtata eſt: Cranonis autem humiditatis cauſſa, tum concauus, & meridionalis ſitus eſt, tum etiam, quia huiuſmodi Oppidum à ventis Aquilonijs eſt auerſum, ac ventorum tranquillitatibus, quas νηνεμίας appellant Græci ſubiectum. Attamen aeris caliditas, magis quam humiditas putredines facit tertio apho. tex. com. 11. id circo calidioribus temporibus Carbones magis graſſantur: quod ſi ambæ iſtæ qualitates modum exceſſerint, peſtilentes euadunt, vt inferius ad notabimus. Nunc illud addo ſub aere feruido huiuſmodi affectus eſſe quidem frequentiores; nihil tamen obſtat, quin rigente etiam Hyeme Carbunculus poſſit extuberare, vt propria experientia obſeruaui. Aeri ſuccedunt cibi calidi, humidi, craſſi, prauiq; ſucci; huiuſmodi ſunt carnes taurinæ; ſuillæ ſale conditæ, caprinæ, hircinæ, leporinæ; piſces cetacei; limaces; caſeus antiquus, legumina, & præſertim lentes, aromata, allia, porra, cæpe, braſſica, & alià multa eiuſdem naturæ. Vinum itidem craſſum, nigrum admodum generoſum ſine aqua copioſè aſſumptum: vnde vinoſi homines facilè in hunc affectum incidunt. Vigiliæ immodicę. Excretiones fæcum diminutæ, aut retentę. Ira mœrori coniuncta. Et demum immodicus labor, qui tantas victui prauo adiunctus vires obtinet, vt videamus quam ſæpiſſime rurales, & agreſtes homines fœdiſſima hac corripi labe, iuxta Hippo. præſcriptum 5. in 6. Epide. tex. com. 34. Vlcera exoriuntur ſi immundus laboret; vt. n. exponit Gal. in com.

Calidioribus temporibus Carbones magis graſſantur.

Vide Luſitanum Centur. 3. curat. 46.

Immodicus labor victui prauo adiunctus potiſſima Carbunculorum cauſſa.

com. calor ob exercitationem auctus ex profundo ad cutem acres ſuccos euocat.

CAPVT TERTIVM

Proponuntur cauſſæ accidentium Maligno Carbunculo inexiſtentium.

HACTENVS circa Carbunculi defininitionem digreſſi ſumus, quæ cum omne genus cauſſæ fine excepto à morborum definitionibus alieno complectatur, cunque non tantum quid, ſed propter quid etiam manifeſtet, perfectæ cauſſalis definitionis meretur nomen: Hinc accidit, vt ex ipſa accidentium ſenſibilium Carbunculo inexiſtentium cauſſæ facili deducantur negotio, quod vocatum, perfectarumq; definitionum peculiare eſſe tradidit Ariſtotelis, & cum eo Auer. quarto phyſicorum tex. com. 31. Propria Carbonis non peſtilentis accidentia ſunt quatuor, Dolor, Depaſtio cum putrilagine: Febris: & in flammatæ partis ad maximam molem eleuatio. De dolore mentionem fecit Galenus ſecundo ad Glau. capitulo primo grauem illum appellans: oritur huiuſmodi dolor ex ſanguine atrabilari confeſtim, & violenter vſque ad continui ſolutionem in ſentientibus partibus agente; qui atra bilaris ſanguis vt copioſus dolorem infert grauatiuum, vt acris mordicatiuum cum appetitu ad ſcalpendum: delineauit hanc ſcalpendi propenſionem Galenus 14. Meth. capitolo 10. dum dixit. Cœterum inter initia, quibus hoc inſtat, ſcabunt particulam omninoq; mox oritur puſtula quædam, qua rupta vlcus cum cruſtà gignitur Sæpe vero non vna oritur ſcabentibus puſtula, ſed multæ exiles, veluti milij ſemina. *Propria Maligni Carbonis accidentia ſũt quatuor.* *Dolor.*

Depaſtionem ſignificauit Celſus libro quinto cap. 28. his verbis. Idq; vitium ſubtractis quaſi quibuſdam radicibus ſerpit, interdum celerius, interdum tardius. Hæc depaſtio nonnunquam tam ſæua eſt; vt non ſolum cutem, ſed etiam alias *Depaſtio.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

alias ipſi ſubiectas partes ita abſumat, vt nudæ venæ conſpiciantur: quod in Aſia quoque alias contigiſſe teſtis eſt Gal. lib. de diſſectione venarum,& arteriarum cap.7. Cauſſa huius putrilaginoſæ depaſtionis eſt maligna, & corruptiua putredo, quæ in ipſo vlcere conſiſtens circumiacentes partes inficit,& erodit:neque hoc mirum,quia vt Paulo ſupra enunciauimus, quod à putrido tangitur, putridum fit.

Febris.

De febre extat apud artis proceres controuerſia, nam Gal. lib. 14. Meth. toties citato neceſſarium eſſe ait ita affectos febricitare,idq; non minus, immo magis quam illi quibus Eryſipelatoſa eſt Phlegmone;& eodem loco ſubiungit id neminem latere alias ex parte Celſus loco nuperrime citato in fine capitis hęc ſcripſit: ſed in eius modi caſu abſtinendū à cibo à vino eſt. Aquā liberaliter bibere expedit. magiſque ea ſeruanda ſunt,ſi febricula quoque acceſſit. Quibus verbis videtur innuere,Carbunculos nō ſemper à febre comitari. Celſo aſſentitur Auic. cap. de Pruna, & Igne Perſico. Denigre experientia ipſa huic rei apertiſſimè atteſtatur, nam quinque ab hinc menſibus dum hominem curarem quadragenarium duobus Carbunculis laborantē,altero in dextra pectoris parte ſupra clauiculā, altero in dextra ſura exiſtente,toto curationis tempore immunem illum à febre fuiſſe animaduerti,quod alias etiam obſeruaui. Sed hic aliquis obijciet,niſi febris adſit alia ratione,aderit ſaltem ratione putredinis,nam vt habemus 2. de differentijs feb. cap. 5. In atræ bilis morbis tam internis, quam externis non neceſſatio Egri febricitant, niſi prius atra bilis putrefiat. Reſponſio eſt hæc,quamuis in Carbunculis atra bilis putrefiat, calor putredinalis à materia aliqua frigida nonnunquam remittitur, & id circo calidam intemperiem Cordi nequit communicare,eo magis ſi lęſa pars longè ab ipſo diſtet: quoniam ad febrem aſcendendam duo requiruntur,affectus,& ſitus affectæ particulę Cordi propinquus lib. de conſtitutione artis ca. 15. quæ doctrina Carbunculo quoquæ debet applicari, nam vt habemus primo de differentijs feb. 3. & in Carbunculis id quod continuum exiſtit vna calefit,& ita calor progreditur, donec ad Cor cōmunicatio pertingat. Nihilo tamen minus ego ita ſentio, fieri non

Datur Carbunculus ſine Febre.

Obiectio.

Reſponſio.

Non datur Carbunculus legitimus abſque febre.

poſſe,

poſſe, vt detur Carbunculus legitimus, qualem ſupra deſcri pſimus abſque febre: non repugnare tamen illegitimum Carbunculum ſine febre eſſe. Voco hunc illegitimum Carbunculum non fictum, vt proximè, & malè aliqui fecerunt, quia huic etiam propoſita Carbunculi definitio competit, & propterea non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. Sed vt vnde digreſſum ſum redeam, opinionis propoſitæ fundamentum ex ipſa rei natura iam explicata deſumitur, dum diximus Carbunculum legitimum à putrido feruidoque ſanguine exoriri. Quis enim tam inſcius eſt, vt non animaduertat talem ægritudinem neceſſario cum febre, eaq; vehementi coniungi? Quod ſi prædicto humori, vel pituitoſus ſuccus, vel Melancholicus naturalis adiungatur, febris ſufficiens cauſa, cum feruor ſit remiſſus deficit; Non tamen negauerim, praua curatione inſtituta, rebuſque in deterius tranſeuntibus febrem in propoſito caſu poſſe ſuccendi. Neque hoc à Gal. doctrina omnino cenſemus alienum, nam Gal. quoque Carbunculum ſine febre admittere videtur lib. de differentijs morborum cap. 7. his verbis. Sępius enim ex morbo alius contrahitur morbus, vt cum eryſipelati, Herpeti, & Carbunculo febris adiungitur. Sed de iſtius febris eſſentia atque natura, tum ipſe, tum poſteriores Medici pauca admodum enunciauerunt. Ego duplicem illam ſtatuo, Ephemeram, & putridam. Ephemeram illam appello, in qua putrida fuligo in loco à Carbunculo obſeſſo circumſcripta manet, ſed calor eiuſdē loci per partes continuas Cordi cōmunicatur, vt in Bubonibus quandoq; accidere legimus primo de differentijs feb. cap. 5. hanc febrem pluries in praxi obſeruaui. Putrida vero illa eſt, in qua non tantum calor, ſed putridus vapor, ſeu fumus ad Cor ipſum rendit. Ambæ iſtæ febres ſunt veluti ſymptomata partium inflammatione laborantium. Quæ tamen prauo exiſtente in corpore humoribus apparatu principalem febrem accendunt illorum naturæ reſpondentem: hęc vt plurimum eſſe ſolet ardens ſpuria. Verum non ſemper febris hæc principalis Carbunculum conſequitur, immo aliquando præcedit, quod frequentius in peſtilentibus, quam in malignis euenire Carbunculis certo ſcimus.

Error quorundam dicent non dari Carbunculum fictum.

Febris tū Ephemeratum Putrida Carbunculo coniungi poteſt.

Panis

Inflammata partis ad maximã molẽ eleuatis.

Partis denique inflammatæ ad tantam molem eleuatio vnde proueniat, nullus, quod ego viderim, hactenus demonſtrauit: res tamen maximè ſcitu digna & difficilis eſt, quia ſi dicatur hanc à propoſitis Carbunculi cauſſis effici, mirum auditu eſt, quo pacto tanta atrabilaris ſanguinis copia in nobilioribus partibus exiſtente hominis vita permanere poſſit. Huic obiectioni fortaſſe reſpondebit ingenioſus, ſanguinem ratione caloris, & doloris ad patientem locum attrahi, ibique in atram bilem tranſmutari. Verùm hoc admiſſo, quo pacto tanta peccantis materiæ copia poterit reſolui? vidimus enim aliquando Carbunculo laborantium capita ad tantam excreuiſſe molem, vt bouinum caput æquauerint: neceſſario igitur, aut corrũpetur pars, aut in abceſſum tumor terminabit, neſcio enim quo pacto tanta materiæ quantitas diaphoreticis medicaminibus cedere valeat. Sed obſeruauimus nos, obſeruarunt & alij nunquam ad ſuppurationẽ inflammationem propoſitam deuenire, at potius vel corrũpi, vel in inſenſibilẽ halitum reſolui. Repugnat ergo à ſimplici ſanguine atrabilari adeo grandem fieri inflammationem. Exaduerſo, & color partis ad liuidum, vel ad nigrũ vergens, & calor propemodum exurens, ſanguinem atrabilarem atteſtantur: Quamobrem vndequaq; ob voluta res eſt. Ego vt ingenuè fatear, rem hanc potius doceri, quam docere vellem, vt tamen, quid ſentio, liberè alijs cõmunicem, ſic ſtatuo. Sanguinem in Carbunculi inflammatione exiſtentem ad tantam veluti fermentationem, & efferueſcentiam deuenire, vt in ipſo tempore augumenti, & ſtatus ſpirituoſa quædam motio euidenter fiat, ei ſimilis, quæ in feruente muſto apparet, vnde tumor ad inſignem molem tunc temporis eleuatur ſimul intumeſcente, quæ fermẽtatur, ſubſtantia. Ratio dictorum eſt hæc, ſanguis iſte ſapit naturam atræ bilis, quæ ſi terram fermentat lib. de atra bile cap. 3. eo magis carnem, & cutem fermentabit, & in altum attollit. Adeſt præterea in inflammata parte maximus feruor, qui ad ebullitionem efficiendam procul dubio eſt ſufficiens. Huius decreti comprobatio inde deſumitur, quod ſanguine larga venç ſectione refrigerato, vlcere cruſtoſo humoreq; ipſum efficiente inflammationis fomite ablato, & in

Inflammatio Carbunculi nũquam in ſuppurationem vertitur.

Fernelius lib. 7. cap. 2.

2. In primum Prõ rhet. tex. com. 40.

Vide 14. Methodo. cap. 9.

flammatione ipſa leniter refrigerantibus, & reſoluentibus di minuta, ſtatim reſidet tumor.

Præter dicta accidentia alia ſuperuenire ſolent, quæ, cum rarò ſuperueniant, propriorum nomen haud merentur, veluti eſt Delirium, & ſopor, quorum alteri tunc contingit cum Carbo in ſuperioribus partibus, & præcipuè in Capite reſidēs Cerebrum maximopere calefacit, vt notat tex. 8. com. primi in primum Prorrhet. Alterum vero ſæpe accidit, dum uapores calidi, & copioſi Cerebrum replent, vt melius cum de ſymptomatibus auferēdis loquemur explicabimus. Alia quoque his ſimilia reperiuntur, de quibus, tanquam peſtilenti Carbunculo magis proprijs, inferius diſſeremus. Dixi, magis proprijs, quia rarò, & cum ferè deplorata res eſt cū Maligno Carbunculo conſpiciuntur: cuius eſſentiam cum longo iam explanauerimus ſermone, tempus expoſtulat, vt ad peſtilentem eodem ſeruato ordine, progrediamur. *Delirium, et ſopor Carbunculum rarò comitantur.*

CAPVT QVARTVM.

De Carbunculi Peſtilentis Natura.

PER Carbunculum Peſtilētem illum intelligo, qui vel populariter graſſetur, vel non, ſemper Contagium, & maximam perniciem habet adiunctam: quam perniciem expreſſit Gal. primo de Ratione victus tex. com. 9. ſic ſcribens. Oſtendit hac oratione Hipp. morbos multos vno fieri tempore, quos, ſi pernicioſi fuerint, Peſtem appellant. Si vero mitiores, altera quadam indicant appellatione Epidemos, vel Epidemios nominantes; vt Epidemus morbus ſit, qui tempore anni aliquo in Regione aliqua abundat, inſoleſcitq;. Peſtis vero Epidemia pernicioſa. Elicitur ex hac nominali definitione Carbunculi non peſtilentis, ac peſtilentis diſcrimē, ille enim quamuis popularis, & Epidemicus aliquando morbus ſit, non dicitur Peſtilens, quia nec Contagium, nec perniciem magnam habet adiunctam, immo ſi rectè curetur nun *Nomen.* *Maligni & Peſtilentis Carbunculi diſcrimen.*

D quam

quam ferè interficit, hic ſiue Epidemicus, ſiue non, diligenti etiam cura tractatus ſemper pernicioſus eſt, vnde nomen Peſtilentis ſortitur. Cuius perniciei cognita cauſſa, quæ Anthracis peſtiferi efficiens eſt, ipſius quoque Antrhacis natura optimè innoteſcet; etenim quo ad reliqua eandem obtinet formam, idemq; ſubiectum cũ Carbunculo maligno. Quamuis ad ſubiectum quod attinet, non negauerim hunc frequentius in adenoſis partibus, Emunctoria cõmuniter vocant, exoriri. Solent enim principalia membra, quæ in peſtiferis morbis præcipue afficiuntur ad prædicta loca ſua excrementa deponere, eo magis ſi craſſiora ſint. Tenuiora verò ad cutem tanquam ad emunctoriũ vniuerſale tranſmittunt, vnde Exanthemata, peticulæ à noſtris dictæ, quas Hipp. 7. Epide. in hiſtoria Phæticydæ culicum morſibus aſſimilauit, trahunt originem. Hæc cum ita ſe habeant, ſi quis aſſerat Peſtilentem Carbunculum eſſe Vlcus cruſtoſum, valida totius partis circundatæ inflammatione colorem liuidum referente, coniunctum in partibus externis exiſtens, ne latum quidem vnguem à veritate recedet; ſed exactam definitionem propter cauſſæ efficientis imperfectionem non aſſignabit.

In Emũctorijs frequẽtius Peſtilens, quam Malignus Carbo erumpit.

Carbunculorũ, & Peticularũ, materia differunt.

Hipp. cognouit Peticulas.

Vt igitur quid ſit id, de pro diſputatur, perfectè quilibet aſſequi poſſit, nunc cauſſæ iſtius ideam diligenter exponam. Ad quod præſtandum tanquam ratum, firmumq; accipio peſtilentem Carbunculum, non ſecus ac alium ſupra enarratum à feruido, craſſoq; ſanguine prouenire: cuius rei meminit Gal. 3. in tertium Epide. tex. com. 50. his verbis. Oſtendimus enim Carbunculum ex calido quidem eſſe feruore, ſed craſſa materia conſtitutum. Et quamuis hic peſtilentis nomen nõ apponat, nihilominus ad Peſtilentem omnia iſta ſunt referenda, quia in 3. Epide. vna tantum tempeſtas deſcribitur, quæ peſtilens eſt, vt Gal. in huius lib. præfatione, & primi textus expoſitione declarat. Sed vlterius ſciendum propoſitũ ſanguinem præter craſſitiem, & feruorem, putredinem quoque adiunctam habere, quod patet ex com. 12. lib. nuper adducti, & in ſuperiori capite enucleati. Patet quin etiam ex iſtis verbis, cap. 4. primi lib. de feb. differentijs. Vidi ego aliquando in tali temporis ſtatu, qualem ait Hipp. in Cranone fuiſſe, nõ

De cauſſa efficiente Peſtilentis Carbunculi.

Carbunculus fit à ſanguine feruido, craſſo, & putrido.

paucos

paucos Carbunculos graſſari per populum, quorum erat generatio eadem, omniaq; alia, quemadmodum ſcripſit Hipp. exquiſitè ſimilia; & quidem quæcunque in 3. lib. qui Epidemia inſcribitur de Peſtilentis aeris ſtatu ab Hipp. referuntur, in altero eidem ſimili pati modo euenerunt. Erat autem eorum ſumma, vt oſtendit Hippoc. ipſa putrefactio. De qua putrefactione eadem repetit Galen. 3. in tertium Epidem. 1. dum ait ipſam fuiſſe communem non ſolum eius tempeſtatis, ſed illius quoque, quæ fuit in Cranone primo in ſecundũ Epidem. hoc pacto deſcripta. Carbunculi in Cranone æſtiui: Pluebat in vſtionibus aqua larga: contingebat hoc per totum, & maxime ab Auſtro. Alia ad hoc idem probandum poſſent afferri, aſt quis quæſo tam inſanæ mentis eſt, vt noſcens proprium Peſtilentium morborum characteriſmum eſſe putredinem, Peſtilentes Carbunculos illa carere fateatur, eo magis cum ſatis conſtet, eandem in non peſtilenti Carbunculo reperiri.

Verùm dicet aliquis, ſi hæc vera ſunt, nulla inter Carbones intercedet differentia, eadem enim forma, eadem materia, idem efficiens. Cui ſic reſpondemus; cauſſam quidem efficientem eſſe ſanguinem, tum craſſum, & feruidum, tum putridum, ſed alio modo diſpoſitum, quàm ille, à quo non Peſtilens Carbunculus procreatur. Huius diſpoſitionis diuerſitas facilè explanatur ex diſtinctione ſuperius de putredine tradita, quæ trimembris erat, prout alia eſt putredo ſecũdum quid, alia ſimpliciter, alia ex his compoſita. Dico igitur Peſtiferi Anthracis cauſſam putredinem illam eſſe, quæ ſimpliciter putredo appellatur, cuius ſuperfluitas neque conſiſtentiam, neque colorem, neque odorem habet vnum, ſed ſemper ſecundũm ſubſtantiam permutatur, ac multis modis euariat illud, quod putreſcit. Deſumptum eſt hoc totum ex Galeno primo de differentijs feb. 6. ex quo itidem capite ratio huius varietatis accipitur, quæ eſt talis. Vis coctrix ad tantam aliquando peruenit imbecillitatem, vt nullã poſſit in putreſcente ſuperfluitate, quamuis mediocriter viciata, ad optimũ efficere tranſmutationem. At fieri etiam poteſt interdum, vt vis quidem ipſa non omnino ſit imbecillis, humor verò pu-

Dubium.

Solutio.

Carbunculus Peſtilens fit à putredine ſimpliciter.

D 2 treſcens

treſcens magis ſit vitiatus. Tandem nonnunquam accidit, & vim admodum imbecillam,& humorem putreſcẽtem maximè vitiatum eſſe. Hæ ſunt tantæ varietatis cauſſæ, quæ tamen omnes in hoc conſpirant, vt putredinem gignant cęteris alijs omnibus deteriorem, & deſinentem in inquinamentum coctione, & natiuo calore pęnitus priuatum, fętidum,& adeo corruptum, vt ad bonam frugem non ſolum reuocari non poſſit,ſed acquirat Veneni vires, ita vt humanum temperamentum demoliatur, deuaſtetque. Hinc maximæ hominum clades: hinc Ciuitatum,Regionumq; perditio: hinc denique Vniuerſi Orbis terribilis, & miſeranda calamitas. Galenus vir profectò admirabilis, & in Medicina docenda nemini ſecundus tam prauam, & infenſam putredinem optimè cognouit, atque multoties de illa meminit,† tum magnã, ac excellentem appellans, tum Veneno ſimilem. Quod ſi alicui id à veritate alienum videatur, is adeat 5. caput lib. 6. de locis affectis, vbi quæſtione propoſita, an in humano corpore tanta corruptio naſci poſſit, vt Veneni, tum qualitatem, tum vires æquet, talia profert verba. Nam qui de hac quæſtione melius diſputaſſe videntur, ij eoſdem fieri effectus concedũt, & à lethalis veneni potione, & à corruptione, quæ è corpore ortum habet. Hoc idem confirmat 6. Epidem. 6. tex. com. 5. dicens. Exoriuntur enim dolores quidam maligni à maleficis, ſeu medicamentis, quæ deleteria vocant, ſeu feris Venenum ictu fundentibus, ſiue ſuccis aliquibus ex improbo victu, aut peſtilenti Cęlo in corpore genitis. Quibus verbis prauorum ſuccorum malignitatem, Venenorum malignitati apertè aſſimilat: neque hoc iniuria, nam obſecro fęmorum, tibiarum, pedumq; denudatio: brachiorum, menti, & aliarum partium decidentia, cęteraque ſymptomata ab Hipp. 3. in tertium Epide. tex. com. 95. enarrata, ex qua nam alia prouenire potuerunt cauſſa, quam ex efferà, ſeuaque putredine Veneni vires obtinente? Peſſima itaq; Peſtilentis iſtius putredinis cenſenda natura eſt, & ab alijs duabus putredinis ſpeciebus plurimum euarians, quod tum ex ſubiecto, & cauſſa ipſam efficiente iam allatis, tum ex ſymptomatibus, quæ ſenſui obuiam fiunt optime confirmatur. Si quis enim ſedulò

† 3. de Preſag. ex pulſ. ca. 4. 3. in 6. Epid. t. com. 29.

In humano corpore naſcuntur humores veneno ſimiles.

Peſtilentis putredinis natura peſſima omniũ eſt.

dulò inſpiciat, quæ in alijs putridis morbis in dies accidere conſueuerunt; deinde hæc cum illis conferat, quæ primo in ſecundum Epide. & 3. in tertium Epide. in duabus illis peſtilentibus conſtitutionibus euenerunt, dubio procul fateatur neceſſe eſt, peſtilentium morborum putredinem ad ſummum prauitatis gradū peruenire, & putredinem, quæ in malignis affectibus reperitur, mirum in modum antecellere. An verò hæ duæ putredines ſecundum magis, & minus tantum differant, an eſſentiali diſtinguantur differentia, non eſt, vt longiori perquiramus contemplatione, cum id ſatis patefaciat morborum ab iſtis procreatorū diuerſa curatio, vt inferius, cùm de materijs præſidiorum agemus, manifeſtè patebit.

De mediatis peſtilentis putredinis cauſſis.

Putredinis peſtilētium morborum eſſentia, immediatiſq; cauſſis declaratis, ſupereſt, vt de mediatis eiuſdem cauſſis habeamus ſermonem; ad quod agendum illud liceat, quod iam ſuperius enarrauimus, clarioris doctrinæ gratia repetere, nempe coctrice vi imbecilla, & materia maxime vitiata exiſtente, Peſtilentem putredinem generari. Titulo facultatis coctricis calorem naturalem intelligo, qui & innatus, & proprius à Philoſophis nuncupatur: naturalis in ordine ad mediocritatem paſſiuarum qualitatum, innatus in ordine ad generationem, proprius in ordine ad præfinitam quandā menſuram huic, & illi ſpeciei; atque animantium parti congruentem. Iſte eſt ille calor, quem Ariſtot. & Galenus proximum Animæ inſtrumentum dixerunt, & præſertim Animæ vegetalis, cum hæc abſque calore nil operetur. Redditur autem huiuſmodi calor imbecillis, ſiue propter pabuli deficientiam, ſiue propter impeditam ventilationem, ſiue propter contrarias, & aduerſas qualitates. De iſtis tribus cauſſis natiuum calorem demolientibus ſenſata apud nos extant exempla: ſi enim Igni pabulum deficiat, ligna nempe: ſi aliquo in loco incluſus iaceat, ita vt non poſſit tranſpirare: ſi denique aqua ipſi ſuperaffundatur, aut diminuitur, aut extinguitur pro cauſſæ lędentis robore. Quæ omnia calori natiuo accidere, ſi quis propriam illius naturam agnoſcat igni in multis correſpondentem fatebitur apertè, eo magis, ſi in Gal. operum lectione ſit verſatus. Cum itaque in rebus manifeſtis comprobandis

Cauſſæ natiuū calorem imbecilliorē reddentes ſunt tres.

bandis tempus conterere hominis literis, & otio abutentis omnino ſit, rem hanc exemplis dilucidare præſtabit, vt non ſolum intelligatur, ſed etiam oculata fide inſpiciatur. Et primò ad pabulum quod attinet; nemo ita rudis, ita imperitus eſt, quin ſciat calidum natiuum humido primigenio (quod radicale vocant) nutriri, & ſuſtentari; quo abolito vita ipſa cum natiuo calore aufertur; diminuto autem idem calor imbecillior euadit. Declarant hoc Maraſmo tum torrido, tum illo quod ſenium Philippi appellant laborãtes, iſtorum enim calor eo in dies debilior fit, prout magis humidum primigenium deficit. Declarant hoc idem illi qui fame excruciantur, hi enim quo diutius alimentis deſtituuntur, à quibus humidum primigenium fouetur, eo magis calidi natiui paupertate laborant: Hinc eſt, quod in Annonæ caritate tum peſtilentes Carbunculi, tum alij id genus morbi procreantur, concurrente tamẽ prauorum eduliorum comeſtione. Ex defectu etiam pabuli natiuus calor cito hebeſcit, dum ex nimio calore conſumitur, quod in temporibus, locis, & morbis calidioribus vſuuenit. Hac eadem ratione igni in Sole, & lucernæ apud ignem deficit nutrimentum, vt docet Philoſophus 3. Problematum 25. Cauſſa iſtius rei eſt, vt legitur lib. de Iuuent. & Seneƈt. cap. 3. quia alimentum exiſtens in flamma præoccupat prehendere maior flamma, priuſquam aduениat alterum.

Prima eſt pabuli defectus.

De prohibita tranſpiratione nulla eſt difficultas, quod vel ex hoc dignoſci poteſt, quia prudentiſſimus Galenus in Peſtilenti conſtitutione ſui temporis primo de differentijs feb. cap. 4. deſcripta, obſtructionibus, à ſanis corporibus auferendis totus incubuit, idq; tam neceſſarium exiſtimauit, vt primas in hoc negotio ei detulerit. Verba ipſius ſunt hæc. Vna ſiquidem, ac prima eſt in omnibus communis intẽtio, quod corpus quam maxime ſuperfluitatibus vacet, atque optimè ſpiret. Neque hoc iniuria, nam ſpiratione impedita fuligines retinentur, & calor refrigerari nequit, hinc redditur imbecillior, & putredini datur occaſio. Verùm obſtructiones non ſolum à craſſis, lentis, & viſcidis humoribus producuntur, ſed etiam à multis, vnde à plethorica diſpoſitione natiuus

Secunda prohibita tranſpiratio.

us calor admodum labefactatur. Tandem ad qualitates contrarias & aduerſas quod attinet, nulla eſt apud Philoſophos controuerſia ſimile à ſimili conſeruari, à contrario corrumpi, hæc enim contrariorum natura, vt ſe ſimul perimāt: manifeſtum igitur natiuum calorem à contrarijs & aduerſis qualitatibus labefactari, & aliquando aboleri. Pertinent hæ aduerſæ qualitates aut ad animum, aut ad corpus. Ad animū ra, Mœſtitia, Timor, & aliæ conſimiles paſſiones. Quæ verò corporis ſunt, aut agunt manifeſtis qualitatibus, vt frigiditas, & humiditas extinguendo: aut à tota ſubſtantia, vt Venena ipſa tam intrinſecus aſſumpta, quam extrinſecus administrata: ictus ferarum venenoſarum: Humores corporis venenatam naturam adepti: Seminarium aliquod contagij: aer denique peſtilens, atque hęc poſtrema cauſſa prater cęteras maxima eſt; eo magis ſi corpus ſit inſalubre, hoc eſt morbificis cauſſis ægrę reſiſtat; aer enim quaſcunque corporis partes promptè permeat, atq; pertranſit, & ita humores, alias corporis partes male diſpoſitas inficit; putridaſque reddit. Inficitur verò aer, aut quia putreſcit in propria ſubſtantia, ſicut aqua lacunarum ob ſui caliditatem, & humiditatem, vt accidit in duabus Auſtrinis conſtitutionibus, altera, quæ deſcribitur primo in ſecundum Epide. altera vero ter tio in tertium Epide. vtrobique in principio. De illa ſermonem habens Galenus primo de Temperam. 4. hæc affert. An igitur ſine morbis erit Aeſtas illa, in qua pluiſſe dicit, in caloribus aſſiduè largum imbrem? Atqui Carbunculos in ea fuiſſe narrat putreſcentibus ſcilicet in corpore excrementis, ſaniem quandam, quæ calida, humidaque immodicè fuerit, gignentibus. Idem contigiſſe in altera declarāt verba illa contex. 50. Carbunculi ætate multi: nec mirum; nam, vt dixi, iſti affectus calidioribus temporibus frequentius erumpunt. Inficitur præterea Aer, quia prauæ ipſi permiſcentur vaporationes prodeuntes, vel à cadaueribus inhumatis, vel à lacubus, & Paludibus æſtatis tempore, vel à Puteo diu occluſo, deinde recluſo, vel à Voraginibus adapertis, vel à multis pannis infectis: vel ab alia conſimili cauſſa; vi cuius quilibet: Vnde legitur apud Scriptores, in Septentrionalibus

Tertia qualitas contraria, et aduerſa.

Aer quot modis inficiatur.

bus regionibus. Peſtilentes Carbunculos multoties fuiſſe Epidemicos, aer vitiatur etiam frigidus, & ſiccus. Communicantur iſtæ aeris infectiones (vt hoc obiter dicam) multoties proximis etiam regionibus per uentos, non tantum Auſtrinos, ſed Aquilonares, & cuiuſcunque generis, nam dum Ventus ſecum fert vapores peſtilentes, quicunque ille ſit, peſtilentes morbos producere poteſt.

De Materia vitiata quæ peſtilentis putredinis eſt ſubiectum.

Hæc ad caloris natiui imbecillitatem ſpectare videntur. De materia vitiata, quam peſſimæ huius putredinis ſubiectũ conſtituimus, præclarum in Gal. monumentis lib. de boni & mali ſucci cibis in principio extat argumentum, quo loci ex prauis edulijs ibidem deſcriptis, Peſtilẽtes febres, Anginas, Phagedęnas, Carbunculos, & alia huius ſobolis mala genita fuiſſe teſtatur. Huc pertinet vitiatarum aquarum potus, etenim hæc omnia corruptos, exitialesq; gignunt humores, & præcipuè in corporibus prauam temperiem obtinentibus. Diximus iam de cauſſis caloris natiui imbecillitatem, & humorum vitium efficientibus, quæ omnia ſi rectè animaduertantur Peſtilentis putredinis eſſentiam optimè declarant, eo magis niſi ignoretur prædictæ naturalis caloris imbecillitati præternaturalis, & extranei caloris dominium adiungi; de quo calore, tanquam de Peſtilentis, & cuiuſcunque alterius putredinis effectrice cauſſa Galen. ipſe tertio in tertium Epide. 11. Meth. 8. & alibi pluries fecit mentionem.

Hæc, quæ hactenus determinata ſunt, in Anthrace peſtifero non tantum putredinem, ſed illam admodum excellentem, & aliam ab ea, quæ alterius Anthracis propria eſt, ſtabiliri demonſtrãt; attamen non edocent, in qua Carbunculi parte tam ſæua reſideat putredo. Equidem, vt nihil intactum relinquatur, in vlcere ipſo cruſtoſo putredinem reſidere, non ſecus ac in non peſtilenti Carbunculo reor, ad cuius rei confirmationẽ argumenta ſuperius adducta ſatis ſuperq; ſufficiunt. Illud ſolũ addo, ſanguinem atrabilarem Peſtilẽtis Carbunculi inflammationem parientem magis vitiatũ, & in proxima, vt putrefiat diſpoſitione exiſtere: hoc inde colligitur, quod tota pars inflammatione obſeſſa, ni cito opportuna adhibeantur remedia, breui temporis ſpacio computreſcit.

Excellens putredo in vlcere reſidet.

Quam-

Quamobrem, vt omnia in vnum colligamur, Carbunculus Peſtilens eſt Vlcus cruſtoſum valida partis circundatę inflammatione, colorem liuidum referente coniunctum, à ſanguine atrabilari, tum feruido, tum excellenti putredine putreſcente procreatum. *Peſtilentis Carbunculi definitio.*

CAPVT QVINTVM.

Proponuntur cauſſæ Accidentium Peſtilenti Carbunculo inexiſtentium.

TRADITAB etiam difinitionis ope illorum accidentium ratio reddi poteſt, quæ iſtius ſpeciei Carbunculos perpetuò comitari aſſolent; quemadmodum præter alia ſuperius propoſita ſunt Contagium, febris Peſtilens, & Ingens virium iactura: etenim hæc omnia à ſumma illa putredine, tanquam à fonte ſcaturiunt. *Propria Peſtilẽtis Carbunculi Accidentia.*

De Contagio quidem nulla eſt difficultas, cum omnibus ſit in confeſſo Peſtilentes morbos, vel mutuo contactu, vel fomite, vel ad diſtans Cõtagium truculentæ putredinis auxilio communicare, id eſt infectionem ei ſimilem, à quo primũ emanauit. Quod an ab alia cauſſa prouenire poſſit, à morbida nempe, & deleteria excretione totius ſubſtantiæ proprietate magis quam manifeſtis qualitatibus lædente, an à ſola putredine ſubtilius explicare, non eſt præſentis commentationis, cum mihi ſat ſit in præſentia communiorem, & manifeſtiorem cauſſam attuliſſe. Illud admoneo, in peſtilenti hac putredine gradus dari, quorum alter altero ſæuior eſt. Hinc euenit, vt pro malignitatis ratione nunc Carbũculus magis, nunc minus contagioſus ſit, atque nunc contagium per contactum communicet, nunc per fomitem, nunc etiam ad diſtans, quod tunc contingit, quando calor natiuus extremè imbecilliis, & materia ad ſummum vitiata eſt. *Contagium.*

Eadem excellens putredo febrem peſtilentem excitat, & eam quidem Putridam, nam in Ephemera Peſtilenti non *Febris.* *In Ephemera Peſtilẽti nõ erũpũt Anthraces.*

erumpunt Anthraces. Solet huiuſmodi febris aliquando Carbunculum præcedere, aliquando ſubſequi: quoniam dū à principio ſanguis feruet,& computreſcit,ſi robuſtæ ſint uires ad aliquam ſummam corporis partē tranſmittitur,illicq; deterior redditus partem adurit, & inflammat, & ex conſequenti Carbunculum gignit: hinc poſtea humores Cordis putredinem,& calorem concipiunt, vnde febris accenditur: vel poſt iam dictam tranſmiſſionem intus latitat aliqua materiæ corruptæ portio, quæ cum ſenſim inualuerit, febrem infert. Sin vero facultas expultrix eſt imbecilla, humor excellenti putredine correptus febrem parit, cuius impetu aliqua illius pars foris exiliens Carbunculum promit. Hac eadem ratione Bubones Peſtilentes, Parotides, Exanthemata, & conſimiles pro rōne materiæ producuntur affectus. Vtrūq; res ſe ſe habeat, neminem probatæ doctrinę ſcriptorem inuenio, qui Peſtilentem Carbunculum ſine febre viderit, & illa quidem peſtilenti, cuius febris cauſſam ad excellentem humorum putredinem in finibus Cordis exiſtētium eſt referenda. Quod ſi alicui minus rectè enunciatum videatur, is quæſo ad memoriam reuocet, ex ſcorpionis ictu, re oculis noſtris ferè inſenſibili, totum defedari corpus, & Cor ipſum maximè torqueri. Si igitur id tam verum eſt, quam quod veriſſimum; tanta in corporis partibus exiſtente cacurgia, & humorum malignitate Veneni vires obtinente, Cor remanebit illæſum? nequaquam: & ſi lædatur, quænam pars facilius labem humoribus ipſis contrahet, cum quibus Carbunculi materia habet analogiam? iſtis autem infectis, nonne febris aderit Peſtilens? dubio procul: niſi illud Axioma falſum ſit, cauſſis omnibus præſentibus, quæ ad effectum aliquē producendum, requiruntur, neceſſariò, ſi nihil impediat, effectus producitur. At hic cauſſæ febrem peſtiferam generantes ſunt præſentes, & nullum excogitari poteſt impedimentum, ergo febris Peſtilens aderit: quæ tamen ſæpe mitis, blandaq; tactui apparebit, quippe febres hæ, vt inquit Gal. 9. ſimplicium cap. de Terra Samia, non ſunt calore vehementes, quoniam ſumma, & excellens putredo multam habet coniunctam humiditatem, à qua vapores eleuantur, qui

Non datur Carbunculus Peſtilens ſine febre.

Febris, quæ Carbunculum Peſtilentem comitatur ſæpe eſt mitis.

qui ad cutem peruenië̃tes calorem reddunt mitiorem: vnde febres hæ non ſolum mites, præſertim extrinſecus exiſtunt, ſed aliquando imperceptibiles. Neque hoc mirum, tum propter rationem allatam, tum quia, vt habemus primo in tertium Epide. tex. com. 8. in hiſtoria Hermocratis: Si partes ob malam fluxionem in tumorem aſſurgunt, vbi Natura præ infirmitate haudquaquam attingit humoris concoctionem, qui excitauit tumorem, Ægri nec laborant, nec febricitant, niſi per parum.

Vltimum Accidens præter naturam, quod ſemper Carbunculis iſtis annectitur, eſt Virium ingens iactura ipſo morbi initio ſtatim apparens. Cum enim Cor natiui caloris ſit conceptaculum, & vitalium ſpirituum officina, & ex conſequenti fons, & Origo facultatis vitalis, dum à cauſſis morbificis adeo læditur, vt ipſius temperies, & tonus, tum à manifeſtis qualitatibus, tum ab occultis labefactetur, dubio procul impuri ſpiritus ab ipſo producētur, qui cum aliorum omniū ſint materia, & veluti fundamentum, non tantum Vitalis facultas, ſed naturalis, & animalis tanquam à fulmine quodam percuſſæ neceſſario corruent. *Virium ingens iactura.*

Præter iam enarrata ſymptomata, alia quoque frequenter ſuperuenire ſolent, Cordis nempe Palpitatio, lipothymia, ſyncope, Nauſea, & Vomitus: de quorum omnium natura, & curatione ſectione tertia priuatim differemus. Sunt, & alia præter naturam accidentia Peſtilentibus Carbonibus familiaria, quorum aliqua frequentiora, aliqua infrequentiora ſunt: de illis cap. ſuperiori tractauimus, de his cap. de ſignis diagnoſticis dicemus.

Nunc pro capitis huius coronide illud ſubnectere nō erit ab re Peſtilentem Anthracem ſine Peſte quandoque erumpere poſſe; ſi enim ſummam ac excellentem putredinem feruenti, craſſoq; ſanguini aſſociatā abſque aeris corruptione, quā Peſtem vocant, fieri poſſibile eſt, vt ex immediatis cauſſis iam adductis conſtat quid prohibet Peſtiferum Carbunculum ſine Peſte inueniri? hanc veritatem agnouit ſapientiſſimus Galenus, & propter ea tertio in tertium Epide. tex. com. 57. & tertio de Præſagio ex Pulſibus cap. 4. Peſtilentes febres *Peſtilens Carbunculus datur ſine Peſte.* *Febris Peſtilẽs ſine Peſte.*

bres ſine Peſte homines aliquando corripere docuit: cuius rei exemplum ipſe tradit lib. de boni, & mali ſucci cibis cap. primo, dicens à praua illa victus ratione Peſtilentes febres Epidemicas tamen genitas fuiſſe, quæ non per ſimilitudinē, vt aliqui dicunt, ſed verè tales fuere. Dantur etiam febres Peſtilentes non Epidemicæ, ſed ſporadicæ ex prauis cibis, & potionibus, quibus aliquis priuatim vtitur proficiſcentes, quæ facili negotio in Epidemicas vi contagij degenerant. Dilatari debet hæc doctrina non ſolum ad Carbunculos, ſed ad omnes alios peſtilentes affectus, quia, vt diximus, præſente cauſſa effectum abeſſe repugnat. Scio multis huiuſmodi dogma non placiturum, & præcipuè illis, qui Peſtilentium morborum cauſſas Planetarum aſpectus, & Syderum configurationes conſtituunt. Aſt hoc nihil ad me, qui cum Ariſt. teneo nono Metaphyſ. tex. 19. neque malum, neque corruptionem in corporibus ſempiternis exiſtere, & præſertim in Cœlo, quod nullam prauitatem habere explicatis verbis idē docet primo Cœli tex. 100. Quæ ſi vera ſunt, qua ratione à corporibus iſtis cuiuſq; vitij, corruptionis, prauitatiſq́, prorſus expertibus Peſtem, aliaq; tam ingentia mala immediatè emanare ſuſtineri poſſit, non video. Sed de Carbunculorum eſſentia ſatis: tranſco ad differentias.

Peſtis immediatè à Cœlo non prouenit.

CAPVT SEXTVM.

De Differentijs.

Differentia Carbunculi proprijſſima.

OMNEM Differentiæ lata hic accipimus ſignificatione, illoq; triplicem differentiæ acceptionem audiri volumus: quarum præcipua proprijſſima à Porphyrio nuncupata, pro vt quiſque ex dictis poteſt colligere, in Carbunculis reperitur; & enim alius ab excellenti atrabilaris ſanguinis putredine, alius à maligna naſcitur: ille Peſtilens, hic Malignus dicitur, qui quamuis ſub eodem contineantur genere, ſpecificè differunt, vt patet. Præter proprijſſimas

iſtas

iſtas differentias vnuſquiſque Carbunculus ſuas habeat proprias, & communes, quæ tamen alias non conſtituunt ſpecies, cum non faciant aliud, ſed alteratum, & indiuiduis tantum competant. De his omnibus breuiter dicemus, ab illis quæ non Peſtilenti Carbunculo attribuuntur initio ſumpto: cuius conſiderato genere, vlcere nempe cruſtoſo, illæ procedũt differentiæ, quæ ſecundum magis, & minus appellantur; pro vt vlcus ipſum vel maius, vel minus eſt. Iſtis alię ſuccedunt quæ à depaſtione, & cruſta deſumuntur: vlcus enim vel maximè, vel minimè depaſcens eſt: cruſta verò vel nigra vel cineritia, vel flaua, vel ſubalbida, vel cærulea, vel viridis, vel alterius coloris apparet. Sequũtur differentiæ à coniunctis, aliquando enim puſtula vna, aliquando plures, aliquando nulla cum Vlcere coniunguntur. Partis quoque circundatę inflammatio liuidum colorem referens diuerſa eſt, tum pro ipſius quantitate, tum colore: quantitate, quia aliqua maius, aliqua minus occupat ſpacium: colore, quia vel minus, vel magis liuida, vel ſplendidior, vel minus ſplendida ſpectatur. A ſubiecto itidem plures deſumuntur differentię, quoniam hęc affectio modo ſuperficialis eſt, modo profunda; modo neruoſa, modo muſculoſas obſidet partes. Præterea modo extuberat in Capite, modo in Pectore, modo in Gula, aliquando etiam in Oculis, Palpebris, Pudendis, Emunctorijs, Artubus: ſemel dicam in omnibus externis corporis particulis. A cauſſis quoq; immediatis proprię eliciuntur differentiæ, nam etſi vitium hoc à ſanguine atrabilari feruido, & putreſcẽte enaſci decreuimus, frequenter tamen accidit huic ſanguini alium copulari humorem, nempe Melancholiam naturalem, Bilem flauam, Vitellinam, Porraceam, & alias bilis differentias: Pituitam ipſam: & humorum iſtorum ichores: hinc duæ maximi momenti Carbunculorum differentiæ proueniunt, legitimus, & non legitimus. Ab hoc eodem fonte aliæ profluunt differentiæ, prout ſanguis magis, vel minus feruens, & putris exiſtit: vnde vel maior, vel minor emergit malignitas. Quibus omnibus addendæ ſunt poſtremo communes differentiæ à tempore, nam vel eſt in principio, vel Augumento, vel in ſtatu, vel in Declinatione. his enim

Differentia propria.

Ab Vlcere.

Ab Inflammatione.

A Subiecto.

A Cauſſis.

Differentię Cõmunes.

A Tempore.

quatuor

quatuor temporibus vnaquæq; morbi ſpecies menſuratur. Reſtant differentiæ eiuſdem claſſis, quæ à ſuperuenientibus, & ab antecedentibus hauriuntur: ab antecedentibus quidē, nam Carbunculus ex praua victus ratione, ex uiſcerum intēperie, & ex alijs enumeratis cauſſis ortum ducit: à ſuperuenientibus, quoniam alicui ſæua coniunguntur ſymptomata, alicui minimè. Hæc, quæ de maligno Carbunculo enunciauimus, Peſtilenti quoque (ſi quis æquo perpendat animo) aptari poſſunt: de quo præter iam propoſitas, alia affertur differentia à coniunctis, quia vel cum Peſte debacchatur, vel ſine Peſte eſt. Extant & aliæ Carbunculorum differentiæ, quæ tanquam curationi inutiles prætermittuntur. Et hic primæ Sectionis finis eſto.

Ab Antecedentibus, & conſequentibus.



M. AN-

M. ANTONII TOSII MEDICI, ET PHILOSOPHI.

De Anthrace, ſeu Carbunculo.

SECTIO SECVNDA.

CAPVT PRIMVM.

De Signis Diagnoſticis Carbunculi Maligni.

DIſcretiva Artis Medicæ pars,quã ſignificatiuam recentiores vocant,exercenda prius, quam curatiua ab ijs eſt, qui rectè Medicinam tradere cupiunt; nam ſine morbi cognitione opportuna nequeunt applicari remedia. Elicitur præceptum hoc ex primo de his, quę in Medicatrina fiunt contex. primo, cui nos obſequi deſiderantes,quamuis ex proximæ Sectionis lectione aliquis Carbunculorum noſcendi hauriatur modus; attamen,vt res tota melius innoteſcat,particularem hoc loco de Signis inſtituimus ſermonem, qui vniuerſam hanc materiam luculentiſſime declarabit. Verum non tantum ſigna, quę Diagnoſtica dicuntur,afferre eſt in animo:ſed quia ſimilitudines homines ſępiſſime decipiunt, ſigna proponemus, quę cùm affectus hos ab alijs diſtinguant, Diſtinctiua iure vocari debent. Denique cum aliquando accidat Carbunculis obſeſſos è viuis decedere, ne hic euentus noſtro adſcribatur errori, prædictione opus eſt, hęc enim tum Medicum à mortis crimine vindicat, tum ipſum cęteris admirabilẽ red-

dit; vnde poſtea ęgrotantes obſequentiores ſunt, immo & aſſidentes, quia ex prędictione Medicum naturam ęgrotationis agnoſcere colligunt. Tota ergo huius tractationis ſumma ad tres redigetur partes, in quarum prima de Signis Diagnoſticis, in Secunda de Diſtinctiuis, in Tertia de Prognoſticis habebimus ſermonem.

Summa iſtius Sectionis.

Ad Signa igitur Diagnoſtica, quę cęteris natura, & cognitione priora ſunt, quod attinet, maximam hæc requirunt diligẽtiam; nam vt inquit Hipp. lib. de Arte, Medicus qui ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficiet etiam ad ſanãdum. Difficilior autem eſt Carbunculi cognitio, & pręſertim in principio; nã ſępe confuſa, exiguaq́; & q̃ vulgares homines latere poſſint, affert ſymptomata; non ſecus profectò quam ſtirpes, quę è terra iam exeunt; quando hæ quoque à peritis tantum agricolis agnoſcuntur. Plurimum verò intereſt Carbunculum à principio dignoſcere, quando enim progreſſus eſt, eiuſq́; accidentia adeò vehementia ſunt, & magna, & cunctis euidentia, vt ne puerum quidem lateant, vt plurimum non eſt amplius remedio locus. Vt igitur quilibet de facili iſtius morbi cognitionem aſſequatur, ſedula opera huic conſiderationi incumbam à maligno Carbone exorſus. Cuius Diagnoſtica ſigna magis pręcipua duplicem ſortiuntur differentiam, prout alia Pathognomonica, alia Aſſidentia vocitãtur. Pathognomonicorum triplex eſt numerus: Vlcus cruſtosũ, quod in primo ſui ortu magnitudinem vnguis non excedit, ſed in dies magis magiſque depaſcendo augetur. Cuius cruſta inferiori carni continua adhæreſcit, & quodammodo affixa eſt, eamq́; depaſcitur. Origo iſtius Vlceris eſt hæc. Patientes intermitia, quibus hoc inſtat, ſcabunt particulam omnino, mox oritur poſtula quædam, qua rupta Vlcus cum cruſta gignitur. Sępe verò non vna oritur ſcabentibus poſtula, ſed multæ exiles veluti millij ſemina crebræ in particula reſidentes, quibus perruptis ſimiliter cruſtoſum Vlcus prouenit. In Carbunculis verò qui per Aſiam populatim ſunt graſſati, etiam citra puſtulas nonnullis excoriata ſtatim cutis eſt, quæ omnia ex Gal. 14. Meth. cap. 10. fuere deſumpta. Secundum ſignum Pathognomonicum eſt Inflãmatio

Cognitio Carbunculi difficilis.

Diagnoſtica ſigna quę Signa Pathognomonica. Primum.

Paulus l. 4. ca. 25.

val

lida, & dura partium Vlceri circumiacentium colorem liuidum, ſplendidum referens bituminis, & picis more; in cuius Inflammationis loco leuari cutis nequit, ſed inferiori car qua ſi affixa eſt. Attollitur iſte Inflammatorius Tumor in orbi progreſſu ad molem adeo ingentem, vt mirum ſit vi . Tertium Signum Pathognomonicum eſt Dolor primò ordicatiuus cum propenſione ad ſcalpendum; poſtea gra s; ita enim particulam laborantem aggrauat, ac ſi vinculis let conſtricta. Immò in parte vlcerata maximus ponderis ēnſus percentitur, ac ſi adeſſet plumbum: & videtur quodā odo retrahi ad interna. Accidit tamen aliquando dolorē leo exilem eſſe, vt ab ægrotantibus pro nihilo reputetur. æc tria ſigna ratione inuenta, ac experientia comprobata, ım à Carbunculi eſſentia fluant illumq; perpetuò comiten r, & Pathognomonica, & eſſentialiter inhærentia; & certa dicia; & Græcorum more [illegible] nuncupare licet; atque il s omnibus præſentibus Carbunculum adeſſe, illis autem ab ntibus eundem abeſſe firmiter aſſeuerandum: ſimul enim oniuncta Proprium efficiunt quarto modo ſumptum, quod mni competit, ſoli & ſemper. u Pathognomonicis Signis frequenter adiunguntur Aſſidē ia, quę aliquando ſimul cum morbo inuadunt, aliquando ſu eruenjunt, nonnunquam verò neque omnino veniunt. Ne ue enim ſunt à morbo inſeparabilia, neque eius veluti ſubſtantiam conſtituunt, ſed proprias faciunt Differentias ter io. Aph. t. com. 12. Varia hæc omnino ſunt, quoniam varias Carbunculorum differentias à forma, à ſubiecto, & ab fficiente cauſa prouenientes comitantur. Signa Aſſidenia differentias à forma ſignificantia ſenſui viſus ſunt expoſita; etenim ipſius cruſtoſi Vlceris magnitudinem & figuram oculata fide cognoſcimus. Idem de Inflammationis magni udine, colore, ſplendoreq; dicendum, nanque omnia hæc ub aſpectum cadunt. Differentiæ etiam à Subiecto cogniu faciles ſunt: ſi enim in ſumma cute reſideat affectus, mino rem inferet dolorem, & paruam concitat inflammationem: quod ſi altas egit radices, aut neruoſis, & membranoſis inſi det partibus, contrarium euenit. Dignoſcitur pretereà an

Tertium.

Signa Aſſidentia.

Aſſidentia Differentiarum à forma.

A ſubiecto.

ſit ſuperficialis nec ne à cruſtoſi Vlceris ſcarificatione, quia dum Carbunculus in ſumma cute exiſtit, ſi profundior fiat ſcarificatio, magnum excitat dolorem, cuius oppoſitum in altero accidere conſpicimus. An vero paſſio hæc in Capite, an in Pectore, an in alia reſideat parte, ſuapte natura eſt manifeſtum.

A Cauſſis.

Signa à Cauſſis deſumpta multiplicia ſunt (loquor nunc de efficientibus) quoniam plures ſunt humores, qui ſanguini atrabilari putreſcenti aliquando permiſcentur.

Signa legitimi Carbunculi.

Sed antequam de illis agamus, lubet legitimi Carbunculi ſigna proponere, inter quę tria præcipua, & propria ſunt, Febris magna, & vt plurimum ardens: cruſtoſi Vlceris color niger cum aliqua rubedine: & Inflammatio rubra ad liuidum tendens ſplendori, feruoriq; maximo coniuncta. Solent huius Naturę Carbunculi Iuuenibus, & Hominibus conſiſtentis ętatis familiares eſſe, potiſſimum ſi temperatura calidior, tempus æſtiuum, conſtitutioq; aeris calida copuletur.

Signa Carbunculi illegitimi.

Cæteri verò quos illegitimos appellamus alijs quoque temporibus alijſq; ætatibus ſunt communes: hi ſi ex permiſtione melancholiæ fiant, cruſtam habent nigriorem, & Inflammationem magis liuidam: iſtis febris non neceſſariò adiungitur; Quemadmodum nec illis; in quibus pituita ſubdominatur, quos color ipſius cruſtæ albicans, parua inflammationis liuiditas, & exiguus feruor manifeſtat. Talem ego ſuperioribus annis in gula cuiuſdam pueri decimum annum agentis inſpexi. Reperiuntur & alij illegitimi Carbunculi; in quibus vel ichores, vel bilis permixta videtur; illos demonſtrāt puſtulę: hi cum varij ſint, prout Bilis, vel eſt flaua, vel vitellina, vel iſatodes, vel cærulea, vel ęrugioſa, omnes ex vario ipſius cruſtæ colore flauo, luteo, viridi, cæruleo, & æruginis ſimili dignoſcuntur. Qua in re illud memoria ſemper retinendum prædictis coloribus nigrum ſemper quadantenus aſſociari, & inflammationem ipſam pro admiſtorum humorū qualitate liuiditatem alijs coloribus reſperſam retinere: quāuis in Bile iſatode, cærulea, & ęruginoſa potius cruſtæ color, quam inflammationis immutetur: iſti enim humores in pauca quantitate aggregare ſolent, & aggregati ſi ad extrinſecas deueniant partes, tanquā ignis exurunt, cruſtoſumq;

Vlcus efficiunt. Illud nullo pacto comittendum tribus illis poſtremis illegitimi Carbunculi differentijs neceſſariò capulari Febrem, quæ an ſit principalis, an ſecundaria; an putrida, an ephemera ex proprijs febrium ſignis quiſque indagare poteſt. Maiorem autem, & minorem Carbunculi malignitatem accidentia quæ conſequuntur declarant, & præcipue cũ præter propria alia ſuperueniunt, quæ propria minimè ſunt: in quorum claſſe Horrorem, & ſomnum præcipuè cum Celſo reponenda ducimus.

Communes Differentiæ ab Antecedentibus ſic declarantur: ſi morbus à praua Victus ratione prouenerit, ægri ipſi referunt: ſi à Iecoris, & totius corporis feruore, ſigna tum totius, tum Iecoris caliditatis aderunt: ſi ab alijs cauſſis, illarũ cauſſarum non deerunt argumenta. Vltimę Differentię à Tempore acceptæ his notis interſtinguuntur. Principium illud vocatur, quando pars in Tumorem eleuari incipit cum Vlcere vt plurimum in eius medio exiſtente. Augumentum præſto eſſe cognoſcitur, quando pars affecta magis magiſque in Tumorem extollitur, & Vlcus grandius fit. Status ille vocatur, quando tum Vlcus, tum Inflammatio ad maiorem molem deuenire nequeunt, & ſymptomata ſummum vigorem attigerunt. Declinationis tandem indicium præbent inflãmationis diminutio, ablata depaſtio, & ſymptomatum diſceſſus. Cęterum circa hæc tempora animaduertendum nõ omnia omnibus competere Carbunculis, ſed illis ſolum, quæ ad valetudinem perducuntur. Conueniunt ſigna hactenus expoſita vnicuiq; Carbunculorum differentię proprijſſimæ ſcilicet, propriæ, & communi; quibus duo alia addere ab extrinſecis deſumpta non erit ab re, nam Pathognomonicis iuncta maximam vim habent. Vnum vocatur à iuuantibus, & lędentibus, ſi enim quæ Carbunculis prodeſſe ſolent, proſint; ſi quę obeſſe, obſint, morbum eſſe Carbunculum affirmãdũ. Alterũ dr̃ ſignũ à cõueniẽtia; vnde ſi eodẽ tp̃e multi Carbũculis malignis corripiãtur, hoc quoque maximũ p̃ter alia propoſita iſtorũ Carbunculorũ erit indiciũ. De quorũ cognitione cũ ſufficienter egerimus, reliquũ eſt, vt Signa Peſtilentis Anthracis diligenti proſequamur oratione.

Signa Differentiarum communium.

Signum à iuuantibus, & lædentibus.

Signum à conuenientia.

CAPVT SECVNDVM.

De Signis Diagnoſticis Carbunculi Peſtilentis.

NON minori, immo maiori accuratione Peſtilentis Carbunculi indicia ſunt inquirenda, ſæuior enim eſt morbus, cui niſi ſtatim generoſis remedijs accurratur, nulla ſalutis ſpes. In hac diſquiſitione peragenda ab allata Methodo non recedemus: & idcirco agemus primo de Signis Pathognomonicis, admonentes eadem ſigna, quę & Pathognomonica, & certa indicia Carbunculi maligni eſſe conſtituimus eandē vim in Carbunculo Peſtifero obtinere, ipſumq; perpetuo comitari. Sed prter iſta habet huiuſmodi Carbūculus, & alia tria certa indicia omnino inſeparabilia. Contagium ſcilicet, febrem Peſtilentem, quam optimè cognouit Auerroes ſeptimo Coll. cap. 31. vbi de affectione iſta loquēs dixit, ipſam Peſtilentialem febrem neceſſario inducere, ac ingentem virium iacturam, tertium nempe Peſtilentis Anthracis Pathognomonicum ſignum: cuius cauſſa, vt prædiximus eſt ſumma putredo, adeo natiuum calorem labefactans, vt ſtatim Pulſus diminuatur, & floridus corporis totius color, pręſertimq; faciei deperdatur; vnde vel in ipſo morbi initio cadauerosa, funeſta, & Hippocratica facies ſępe conſpicitur. Illud de febre priuſquam vlterius progrediamur denuo memorandum aliquando Carbunculum antecedere, aliquando ſubſequi: febris iſta ſæpe debilis eſt, blanda, & ferè imperceptibilis, ſi calor extrinſecus conſideretur. Benè verum eſt, quod frequenter, dum extimæ partes tepidę ſunt, intimæ igni æſtuant incendio, quia dum excellens iſta putredo intus viget, calor cum ſanguine confluit in Cor, & proinde à circunferentia ad Centrum.

Pathognomonica Maligni Carbunculi, eſt etiam Pathognomonica Peſtilentis.

Alia Signa Pathognomonica Peſtilētis Carbonis.

Aſſidentia ſigna à formæ, & Subiecti varietate prodeuntia hic repetere eſſet ſuperfluum, nam hæc cum illis communicant, quæ alteri Carbunculi ſpeciei competere affirmauimus.

Signa cauſſæ efficientis.

ius. Superſunt itaq; ſigna ab efficienti cauſſa deſſumpta,& præſertim à ſumma, & excellenti putredine, à qua tota deleteria Carbunculi vis exoritur: nam alia, quæ demonſtrant, an Carbunculus à ſanguine atrabilari puro, an alijs humoribus permiſto conciteꝑur iam fuere narrata. Signa ergo prauam hanc putredinem demonſtrantia ad tria ſumma capita rediguntur: quoniam nonnulla ab affectibus, qui in corpore conſiſtunt, multa ab actionibus læſis: alia ab exeuntibus mutatis hauriuntur. Quæ ab Affectibus proueniunt, vt ex Gal. 5. de ſymptomatum differentijs didicimus à quinque Senſibus inſpiciuntur: A Senſu Viſus colores deprehenduntur, qui aut ſunt communes, aut pecculiares: communes vniuerſo corpori conueniunt, quod naturali amiſſo colore fuſcum, & citrinum euadit, & præcipue in fauce: peculiares linguæ proprij ſunt, quæ aut flaua, aut denigrata cernitur. A Senſu Guſtus ſapores manifeſtantur, & obid ab ipſo morbi huius notæ capiuntur, dum ægrotantes nidorulentum ſaporem, & uirulentiam referentem in excrementis, quæ per vomitum aut ſputum reijciuntur, aut in ipſo ore perſentire affirmant. A Senſu Odoratus percipiuntur Odores, qui in hoc ſæuiſſimo affectu fætidi admodum ſunt, etenim & alui excrementa, & Vrinæ, & ſudores peſſimum redolent odorem: ſed quid de excrementis mirum, ſi ipſius quoque Animæ grauis adeſt fætor? A Senſu Tactus tactilium qualitatum præbetur indicium, & præſertim caloris, qui in hoc caſu ita remiſſus, vt paulo ante dixi, eſſe ſolet, vt vix febrem adeſſe ab ipſo colligatur, immo aliquando Aegri ambulāt, tanquam ſine febre eſſent, donec mortui concidant. A Senſu demum Auditus ſonus, & conſequenter Vox ipſa diſtinguitur, quæ in iſtis Aegrotātibus rauca, & nonnunquam imperceptibilis eſt. Sequuntur Signa à læſis Actionibus, quæ triplicia conſtituuntur, pro vt læſa actio, vel eſt Naturalis, vel Vitalis, vel Animalis. Naturales actiones læduntur omnes: attractrix; hinc penitus proſtrata appetentia: retentrix, & expultrix, hinc fluxus Alui, Sudores diaphoretici, Nauſea, & Vomitus; concoctrix; hinc nullum, nec in Vrinis, nec in alijs excrementis, nec in Pulſu ipſo coctionis ſignū apparet. Actiones quoque animales afficiūtur; Princi-pes,

Ab Affectibus.
A Senſu Viſus
A Sēſu Guſtus.
A Senſu Odoratus.
A Sēſu Tactus.
A Senſu Auditus.
Signa à læſis actionibus.
A Naturalibus.
A Aīalibus.

pes, vnde Delirium, & Vertigo: Sentiens interna, ſenſus nẽpe communis; vnde Coma vigil, & Sopor, aliquando etiam Vigiliæ modũ excedentes; ſentientes externæ, quæ ad quinque ſenſus paulo ante nominatos pertinẽt, etenim hi omnes aut in Ægrotante diminuuntur, aut deprauantur: vnde frequens eſt capitis dolor Tactus deprauati ſymptoma. Motrix deniq; actio patitur, quia imbecillis eſt, vt ex decubitu contra

Ab Actionibus vitalibus.

naturã, & membrorũ tremore declaratur. Verum de Vitaliũ actionum offenſa, quis poterit dubitare, modo ſciat excellentem illam putredinem adeò Viribus Cordis officere? hinc præter maximam virium imbecillitatem, Pulſus frequentes, Inęquales, Parui, Intermittentes, Debileſq; perſentiuntur. Quæ debilitas etiam à fęminis dignoſcitur, dummodo admoneantur, vt in tangendo pulſu animaduertant an pulſus compreſſioni reſiſtat necne: nam ſi affectus ſit peſtilens non reſiſtit. Fæminis itaque, vel alteri e familia pulſus obſeruatiò cõmitti poteſt, quia vt ingenuè fatear Medicus ob Contagij periculum à tactu pulſus debet abſtinere. Reſpiratio quoque maxime difficilis apparet: quibus omnibus, magis magiſque in deterius ruentibus, lipothymia primum, mox Sincope, tãdem ipſa Mors ſubſequitur. Præter hęc, quæ ab affectibus,

Ab Exeuntibus mutatis.

& ab actionibus lęſis ſumuntur, ſigna, ſunt proſtremo & alia ab exeuntibus mutatis accepta, inter quae illa potiſſimum conſiderantur, quę Vrinarum, Sudorum, Alui egeſtionum, & Vomitionum genuina ſunt. Vrinę non ſemper eodem modo apparent, ſed aliquando tenues, aliquando ſubiugales, aliquando colliquatiuę, nunquam non crudę inſpiciuntur. Sudores, vt dixi, male olent, & vel è capite, & ceruice, vel è toto corpore defluunt, qui modo tepidi, modo frigidi ſunt. Deiectiones tenues, ruſę, nigrę, colliquatiuę, peſſimè olentes. Vomitiones virides, cęruleę, ęruginoſę, nigrę. Summa hæc eſt, quod Peſtilentis iſtius putredinis tanta eſt malignitas, vt nullum in hoc morbo ſymptoma non horrendum, non effrenatum reperiatur: illa enim omnes deprauat facultates, cuncta demolitur, & tanquam peſſimus hoſtis depopulatur. Non eſt tamen neceſſarium ſemper omnia allata ſymptomata ſuperuenire. Sed modo hęc, modo illa pro temperamentorum

Anni

Anni temporum, Conſtitutionum, Regionum, & prauitatis morbi ratione. Illud pro fine pręſentis capitis apponendum; tunc Carbunculum Peſtilentem cũ Peſte eſſe, quando aeris adeſt corruptio, & inquinatio, quo tempore magis populariter graſſatur, & innumeros perdit. Hac vero dificiente cauſſa, Carbunculus Peſtilens ſine Peſtę dicitur, quem præcedere ſolet prauorum cibariorum comeſtio, & partium corporis vitiata temperies, vel denique aliqua ex cauſſis extrinſecis ſupra aſſignatis, cuius cognitio ex relatione potiſſimum ipſius Aegrotantis haberi poterit. De ſignis Diagnoſticis ſatis.

Signa Carbunculi Peſtilentis cum Peſte, & ſine Peſte.

CAPVT TERTIVM.

De Signis quæ vtrunq; Carbunculum ab alijs affectibus diſtinguunt.

DIFFICVLTAS, Quæ in morborum dignotionibus ſpectatur, pendet quidem ab innumeris illorum ſpeciebus, ſed multo magis à ſimilitudinibus; hæ enim illæ ſunt, quæ non vulgares modo, ſed nobiliſſimos quoque Medicos decipiunt, vt videre eſt lib. de cuiuſq; animi peccatorum notitia, atque medela cap. 2. & ratio eſt, quia in humano corpore reperiuntur affectus pręter naturam adeo ſimilibus præditi accidentibus, vt viri etiam magnæ famæ in illis diſtinguendis ſæpe decipiantur: quemadmodum deceptus eſt Gal. in ſe ipſo, dum Colico cruciatu vexatus Nephriticis ſe torqueri doloribus imaginatus eſt. Verum cum paſſiones in pœnitioribus partibus reconditę inſpici nequeant, qui in illorum aberrant cognitione, aliqua digni ſunt venia: ſed qui in externorum morborum falluntur notitia, neſcio quam mereantur excuſationem. Quamobrem, vt tam turpe erratum in Carbunculis dignoſcendis non committatur, enumeratis prius morbis ijs, qui ipſis aſſimilantur, ſigna proponemus, quorum auxilio poterit vnuſquiſque talem effugere deceptionem. Autor

Difficultas dignotionis morborum vnde pendeat.

libri

libri de Dinamidijs modum docet diſtinguendi Carbunculum à Cancro, ſed fruſtra, nam manifeſta inter iſtos extat diſſimilitudo.

Quinque ſunt morbi, qui Carbunculis aſſimilantur.

Affectus vero Carbunculis quibuſcunq; ſimiles quinque præcipue mihi videntur: Puſtulæ nigræ: Phlegmones liuidi coloris, cuiuſmodi ſunt Peſtilentes Bubones: Vlcera quędam cruſtoſa in ſumma cute erumpentia: Epinyctides: & furunculi.

Signa Carbunculos à puſtulis nigris Diſtinguentia.

De Puſtulis nigris egit Gal. lib. de Atrabile cap. 4. vbi ſermonem habet de quadam peſtilenti conſtitutione ſui temporis hũc in modũ. Quibus verò Aegrotantibus excretio per inferiorem ventrem haud talis fiebat, ijs corpus totum puſtulis, quæ nigris Exanthematis ſimiles eſſent, circum vndique ſtatuit. Cęterum puſtulæ iſtæ, quamuis nigrę cruſtà carent, nec vlla ipſas comitatur inflammatio, facilis itaq; eſt illorum dignotio.

Signa Diſtinguentia Carbũculos à Bubonibus.

Diſtinguuntur Carbunculi à liuidis Phlegmonibus, quos Carbunculoſas inflammationes vocat Valeſius primo in ſecundum Epidē: primo, & a Peſtilentibus Bubonibus, quia in iſtis deſideratur Vlcus cruſtoſum, & color in flammationis ſplēdidus, neq; enim à ſanguine atrabilari, ſed à sāguine vitiato, & corrupto generantur, ex qua cauſſarum diuerſitate, cur Bubo Peſtilens à Carbunculo Peſtilenti differat patet: Accedit, quod Carbunculis non è certa ſede, ſed indiſcriminatim modo ex hoc, modo ex illa proſilit: Bubo Peſtilens in partibus glanduloſis, & pręcipuè in inguinibus erumpit. Benè verum eſt, quod Peſtilentem Carbunculum Bubo frequenter comitatur proximas glandulas occupans; vt ſi in capite, vel in aliqua vicina parte Carbunculus conſedit, eas, quæ in Collo, & ſecus Aures ſunt, glandulas inuadit, ſi in Brachijs alas, ſi in cruribus inguina. Sed vt ingenuè fatear, nullus fere eſt tam craſſa præditus Minerua, vt hanc non agnoſcat differentiam.

Signa Carbunculos à cruſtoſis Vlceribus Diſtinguentia.

Maior difficultas circa Vlcera cruſtoſa ſita eſt: nam hæc præter Vlcus cruſtoſum, habent quoque circumcirca aliquã inflammationem, vnde Carbunculorum effigiem ęmulantur. Sunt nihilominus ab illis diuerſa, q̃a à ſalſa Pituita ſanguini

copulata

copulata excitantur, & propterea cruſtæ color ad cineritium vergit, & aliquis adeſt pruritus, quæ ambo aliquando fuere in cauſſa, vt Medicus quidã, & Chirurgus talẽ paſſionẽ Carbonem iudicauerint: erat autem Vlcus ſub inferiori labio cõſtitutum, quod cum ego vidiſſem, nolui, vt ferramentis cadentibus inureretur, ſed medicamento emolliente ſuppuranteq; applicito, infra tres dies Iuuenis ille conualuit. *Historia.* Signa Vlcera iſta in principio à Carbunculis diſtinguentia ſunt hæc: Inflãmatio circa ipſa exiſtens, nec magnitudinem, nec feruorem, nec liuiditatem, nec duritiem magnam habet, ſicut Carbunculorum inflammatio: Cruſta etiam quamuis ad cinereum vergat, nigrum tamen non retinet, colorem: nec ita dura, craſſa, & affixa eſt veluti Carbunculorum cruſta. Tempore vero progrediente facilis eſt dignotio, nam Carbunculorum inflammationes indies augentur; Vlcera proximam depaſcunt carnem, & ſæua concitant accidentia: illorum vero inflammationes potius ad ſuppurationem tendunt, & paruum, aut nullum incrementum ſuſcipiunt: Vlcera in eodem ſtato permanent, nulliſq; ſymptomatibus comitantur.

Epinyctis ex Celſo lib. 5. cap. 28. vbi agit de puſtularum generibus, peſſima puſtula eſt, quæ colore vel ſubliuida, vel ſubnigra, vel alba eſſe conſueuit. *Signa Carbunculi ab Epynictide Diſtinguentia.* Circa hanc autem vehemens inflammatio eſt, & cum adaperta eſt, reperitur intus exulceratio Mucoſa; Color eſt humori ſuo ſimilis. Dolor ex ea ſupra magnitudinem eius eſt, neque enim ea faba maior eſt. Atque hæc etiam oritur in eminentibus partibus, & ferè noctu. Ex qua declaratione optimè infertur differentiam in Vlceris cruſtoſi carentia potiſſimum conſiſtere. Nã Epinyctis cum à ſanguine nigro, & melancholico, non tamẽ putrido, & ſuper aſſato oriatur, quocunq; vlcere à principio priuata eſt: at temporis proceſſu vlceratur quidem aliquando, vel ſponte, vel medicamentorum opera, attamen Vlcus cruſta caret, mucũq; continet, neque in circumſitis partibus calorem adurentem habet, neque putreſcendo ſerpit. Accedit, quod Epinyctis nocte potiſſimum erumpit, Carbunculus qualibet hora. Sic Carbunculus ab Epinyctide diſtinguitur, quam diſtinctionem non abſque ſumma ratione hic

 appoſui,

appoſui, nam vidi pluries in Praxi Epinyctides à Chirurgis pro Carbunculis fuiſse habitas.

Signa Carbunculos à furunculis diſtinguẽtia.

De furunculis iam habeamus ſermonem, ſi quis enim affectus Carboni maximè aſſimilatur, iſte profectò eſt furunculus; hinc fit, vt ſępiſſime Chirurgi, aliquando & Medici hac in re fallantur. De Chirurgis plura afferre poſſem exempla, ſed ſufficiet de duobus Chirurgis, altero à Septempedanis, altero à Rocchenſibus plurimi habitis duas enarrare hiſtorias.

Hiſtoria lanifici Septempedani.

Vir quidam Septempedanus Ianificus temperamenti Melãcholici quadrageſimum ætatis ſuæ annum agens acceſſit ad illum oſtendens tumorem in parte ſuperiori ſiniſtri humeri, vbi dearticulationis locus eſt, in cuius tumoris medio Vlcuſculum, & illud quidem cruſtoſum aderat, nulla perſentiebatur febris, dolor quoque erat exiguus. Chirurgus morbo inſpecto credidit eſſe furunculum, quamobrem ſupurante Emplaſtro præſcripto dimiſit Aegrũ; qui medicamento illo aſſiduè vſus ſeptimo ab Aegrotationis (dies erat is Natiuitate D.N.Ieſu Chriſti dicatus) dũ audiret ſacrum, incidit in lipothymiam: vnde domum aſportatus, me ſtatim aſſidentes vocari iuſſerunt; Ego cum acceſſiſſem, & partem læſam ab Vlcere maximè corruptam non abſq; magna inflammatione reſpicerem, Chirurgum allucinatum animaduerti, & Carbunculum more furunculi curaſſe, ac ex conſequenti illius putredinem, & malam qualitatem auxiſſe. Iuſſi igitur, vt ferramentis candentibus, Vlcus inureretur, qua inuſtione ex templo facta multiſq; alijs adminiſtratis a Deo prius, deinde à nobis vitam recognouit. Alter quoque, quem Chirurgus parum abfuit quin interfecerit, dum Carbunculo, vt furunculo medebatur, fuit Mercator coriorum de Rocca Contrata eiuſdem ætatis, & temperamenti. Is cum animaduertiſſet prope Guttur ſibi dolere, Chirurgum conſuluit, qui furunculum in parte illa erupiſſe ratus Emplaſtrum quoddam impoſuit. Perſeuerabat adhuc in illius vſu, quando tertio morbi die rebus in deterius ruẽtibus, aderat enim febris, & difficultas loquendi, & deglutiendi, ego prima noctis hora aduocatus acceſſi, & primo intuitu Anthracem recognoui. Aderat enim Vlcus nigra cruſta tectum prope Guttur in parte

Hiſtoria Mercatoris Rocchẽſis.

ſiniſtra

ſiniſtra maxima inflammatione cinctum. Miſſus fuit nulla intermiſſa mora ſanguis copioſe ex Cephalica ſiniſtri brachij. Vlcus quoque inuſtum, aliaq; me iubente executioni mandata, quę à Dogmatico Medico in tali caſu præſcribi poterant. Attamen non abſque magno labore Aeger à mortis faucibus fuit ereptus. Sed quid mirum de noſtratibus Chirurgis, ſi illi, qui in præcipuis Europę Vrbibus degunt in Carbunculi degnotione ſępe decipiuntur? Teſtis eſt Roma, quæ ſeptem anteactis annis vidit Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum Cardinalem Lanfrancum Virum Paulo. V. Pontif. Max. adeo carum ob hanc eamdem cauſſam occubuiſſe. Cũ enim Carbunculo in dextra coxa laboraret hic vſque ad ſextum pro furunculo fuit curatus, quo die ſolemnioribus Sacris Pontificis interfuit in Baſilica D. Petri: inde poſtea morbo admodum inualeſcente, nono ęgrotationis die Cardinalis ille Ampliſſimus ex hac vita diſceſſit maxima omnium bonorum moleſtia, atque dolore. Oculatiſſimum itaque ununquenque eſſe oportet in iſtis diſtinguendis affectibus, niſi quis Aegrotantis vitæ, & propriæ exiſtimationi malè cõſulere velit. Et in primis illud ſcire expedit duplices eſſe furunculos, vt adnotauit Galenus quinto de Medicamentis localibus cap. 7. quorum aliqui inflammati, dolentes, & aliquando etiam cum febre ſunt: figuram iſti obtinent pinealem, nã à ſanguine ſubtili, vt inquit Auicen. tertia quarti tract. primo cap. 2. generantur. Aliqui vero à craſſo ſanguine fiunt, idcirco duri ſunt, ęgrè coctiles, & plani: colorem iſti habent aliquãdo ſubliuidum propter aliquam Melancholici ſucci admiſtionem, imo quod magis eſt in medio frequenter vlcerantur, & ex Vlcere nullum puſper aliquot dies profluit, ſed in ipſo adeſt quid cruſtæ non diſſimile: occupant frequenter non ſolum cutem, ſed etiam Carnem: malignos hos vltimos vocat Galen. lib. de tumoribus pręter naturã cap. 15. Prima Furunculorum ſpecies facile dignoſcitur, nam neq; liuidum colorem habet illorum inflammatio, nec duri impenſe ſunt, nec cruſtoſum præſeferunt Vlcus, & citò ſuppurant. Aſt ſecunda ſpecies ea eſt, quæ frequentiſſimè decipit, eſtq. in cauſa, vt vel Carbunculi pro furunculis; vel furunculi pro Carbũculis

Species furunculi duæ.

Quomodo diſtinguatur Carbunculus a prima ſpecie.

Quomodo à ſecunda.

culis tractentur. Huius ſobolis eos furunculos fuiſſe exiſtimo, quos Carbunculis ſimiles in febre Peſtilenti correptis magno numero erupiſſe obſeruauit Hollerius. Deceptio hæc ita euitatur? furunculus, vt notauit Guido, in ſui eruptione non facit Eſcharam, immo neque habet vlcus; quod ſi poſtea ob cutis excoriationem ab Aegrotante factã, vel ob humoris acrimoniam illi ſuperueniat, Vlcus iſtud, vel caret Cruſta, vel ſi non caret, tenuis eſt, facile decidit, & ſi ſcalpello tangatur, ſtatim pars dolet. Carbunculus verò ſemper cruſtam habet, maximè inferiori carni affixam, & adeo craſſam & duram, vt eſcharam æmuletur à candentibus ferramentis factam Paulo teſte, cuius ſuperficies ſi incidatur, nullus perſentitur dolor. Præterea Carbunculi vlcus circumiacentes partes depaſcit, furunculi minimè. Inflammatio quoq; euariat, quia illorum inflammatio ad maximam peruenit magnitudinem, & vt inquit Aetius, qui Caput occupant ad Collũ, aut Ceruicem, aut Pectus, aut Brachia, aut ſub alas conſenſum diſtribuunt: qui vero pudenda inuadunt, Crura, & Inguina ſimul afficiunt. Furunculi verò inflammatio Celſo teſte, dimidij Oui magnitudinem rarò explet. Dolor itidem varius eſt, in Carbunculis nanque mordicatorius, & grauis cum appetitu ad ſcalpendum perſentitur: in furunculis potius pulſatiuus, quia ob repletionem ſpaciorum pulſantes Arteriæ partis affectæ percipiuntur. Denique ex ſuppuratione ipſa paſſiones hæ Diſtinguuntur, ſuppuratur enim ſemper furunculus, nunquam Carbunculus. Hæc vt in vnum colligamus, dicimus incipientem furunculum ab incipiente Carbunculo diſtingui, tum doloris qualitate, tum Vlceris cruſtoſi differentia: progrediente tempore, tum inflammationis magnitudine, tum vlceris depaſtione: tandem ſuppuratione ipſa. Iſtis addenda ſunt ſigna à iuuantibus, & lædentibus, à ſuperuenietibus ſymptomatibus, & ab alijs deſumpta, quæ in duobus proximis capitibus fuere deſcripta. Vnum hic admoneo, quod accepi à Paſe lib. Diuiſionum cap. 131. interdum contingere furunculis, quos ipſe Ademcmil ibi appellat, Tremorem cordis, Nauſeam, & ſudorem frigidum aliquando ſuperuenire: quod quidem ex mea ſententia nil aliud eſt, quam

Furunculi mutantur aliquando in Carbunculos.

furunculos aduſta putrefactaq; materia in Carbunculos trãſmutari, quod in corporibus cacochymis ſemper eſt dubitandum. Diligens itaque ſit vnuſquiſq; in his tractandis, neque abſtineat in principio à ſanguinis miſſione, vt communiter faciunt: quod ſi Carbunculi euaſerint, ex ſignis diagnoſticis ſupra allatis colligetur, & tanquam Carbunculi curabuntur. Et quia inter furunculos, & Anthraces ea eſt ſimilitudo, vt propoſitis etiam animaduerſis aliquando non rectè diſtinguantur; ſatius conſilium iudico in re dubia medicamentis illis ad Carbunculos idoneis vti, quæ in prima claſſe deſcribemus, donec natura morbi melius eluceſcat: tunc enim, ſi ita ferat occaſio, ad validiora confugiendum. Summa hæc eſt, quod præſtat furunculo pro Carbunculo; quam Carbunculo pro furunculo mederi. Hic Diſtinctiuorum ſignorum finis eſt, circa quæ libenter moratus ſum, quia Medicinæ ſcriptores quotquot extant ſicco (vt aiunt) pede hanc materiã pertranſiuerunt, quam alioquin apprime neceſſariam eſſe ex dictis licet colligere. *Monitum maximi momẽti.*

CAPVT QVARTVM.

De Signis Prognoſticis Maligni Carbunculi.

HActenvs Patefecimus, quibus vnuſquiſq; ſignis Carbunculos dignoſcere, & ab alijs prę ter naturã diſpoſitionibus diſtinguere queat; Nunc tempus expoſtulat, vt de illis, quorum ope Carbunculorum præuidentur euentus, diſſeramus; cuius diſſertationis vtilitas quanta ſit, ex prædictis ita conſtare arbitror, vt alia non egeat declaratione. Quãobrem cœteris omnibus omiſſis hoc pro dicendorum fundamento cum Gal. lib. de Conſtitutione artis cap. 18. propono, totam præſagiendi facultatem in omnibus morbis ad duo referri capita, ad ipſius ſcilicet morbi magnitudinẽ, & Aegroti vires. Nam ſi vires adeo validæ fuerint (verba ſunt Gal. primo ad Glauco. 8.) vt poſſint morbum ſuperare, neceſſe eſt *Signorũ Prognoſticorum fontes pcipui duo.*

Aegro-

Aegrotum euadere, ſi vero contra morietur. Cognoſcitur Virium robur ex proprijs, præſertimq; ex pulſuum actionibus. Morbi vero magnitudinem, ipſius morbi Species: Signorum Pathognomonicorum quantitas: Signorum Aſſidentium cõditio: & Iuuamentum, quod remediorum adminiſtrationem ſubſequitur; oſtendunt. Quæ omnia propoſito noſtro applicantes, confuſionis vitandæ gratia circa Carbunculum Malignum primo digrediemur, illiusq; magnitudinem ex ijs, quę modo propoſita fuere, inueſtigabimus.

Prognoſtica à ſpecie morbi. Si igitur morbi ſpeciem, Ideamq; ſpectemus, Gal. tertio in tertium Epide. tex. com. 12. hæc habet: Iam Carbunculorum perpetuò eſt periculoſus affectus. Lib. etiam de Tumoribus præter naturam cap. 6. Carbunculos propinquum afferre de vita periculũ teſtatur. Galeno ſubſcribunt cœteri omnes, qui de hac materia pertractarunt. Ex quibus morbum magnum, & acutum ſuapte natura exiſtere, non tamen omnino lethalem licet inferre. *Carbunculus eſt morbus acutus.* Sed ad breuitatem, & acutiem morbi quod attinet, in doctrina Gal. eſt apparens contradictio; nam loco proximè citato breuem appellat morbũ: oppoſitum lib. de boni, & mali ſucci cibis cap. primo legitur, verba ſunt hæc: Cunque nonnullis inſtar Carbunculi, aut Phagedenæ cum febre acciderent; multos longo equidem tempore ſuſtulerunt, vixque pauciſſimi ita affecti mortis periculum euaſerunt. Pro iſtius difficultatis reſolutione conſidero primò, aduerbium inſtar fuiſſe appoſitum ad ſignificandũ, illos non fuiſſe Carbunculos, ſed Carbunculoſas inflammationes. Dico ſecundo, quod morbus iſte quamuis de ſua natura eſt acutus, euadit chronicus, dum in Vlcus Phagedenicum ideſt cutem, & ſubiectam carnem, immo etiam circunſtantem depaſcens tranſmigrat, quod accidit fortaſſe in illa tempeſtate. Vidimus etiam nos Carbunculum feruore remiſſo in Vlcus Cacoethe quandoque degeneraſſe, idcirco hanc ſecundam ſolutionem non improbamus.

Prognoſtica à ſignis Pathognomonicis. Pręter morbi ſpeciem Symptomata Pathognomonica obſeruatione egent: ſi enim Vlcus cruſtoſum maximè latum, profundum, & depaſcens exiſtat deterrimum; ſi paruum in ſumma cute poſitum, & parum aut nihil depaſcens ſalubre exiſti-

exiſtimandum. Maximum verò extat ſalutis indicium, ſi Vlcus iam circunſcriptum ſit, & caro viua à corrupta ſeiuncta. Cæterum de Vlceris paruitate Hollerius in fine libel. ſui de Peſte hæc habet: Carbunculi parui oblongi deteriores. Quæ verba credo intelligenda eſſe de Vlceribus Carbũculorum admodum paruis: hæc enim deteriora ſunt, quia Natura nõ penitus tranſmittit ſanguinem atrabilarem ad cutim; vnde maior eius portio remãſit in Venis internis, quod exitiale eſt, præſertim tempore Peſtis. Cruſtæ etiam color Vlceris naturã detegit, nam ſi viridum, cęruleum, Aerugini ſimilem, & nigrum cum quodam ſplendore ęmuletur colorẽ maiorem malignitatem: ſi ad album, flauum, rubrum, liuidũ, & nigrum ſine ſplendore vergat minorem portendit. De Inflammatione ita ſentiendum tutiorem tunc eſſe, quando lucidus color ad rubrum tendit, quantitas non excedit, & feruor mitis exiguuſq; ſplendor apparet: nam ſi magis nigra ſit, ſi maxima, ſi admodum ſplendens, & feruida periculum minatur ob maximam ſanguinis aduſtionem: Omnium peſſima illa eſt, quæ iam corrumpi incipit. Dolor demum mordicatiuus cum appetitu ad ſcalpendum, & grauitatis ſenſu, quò maior, eò deterior: quò minor eò melior, dummodò cætera correſpondeant: nam ſi pars affecta tota per totam mutata alterataq; ſit, fit quidem illico à dolore libera, in difficiliori tamen ſic conſtituta eſt ſtatu, iuxta Gal. doctrinam lib. de inæquali intemperie cap. 9.

Poſtremò, vt magnitudo morbi magis eluceſcat cæterorũ Aſſidentium ſignorum ratio eſt habenda: dum enim hæc partis præſtantiam, & prauum morbi morem demonſtrant, eiuſdem quoque magnitudinem arguunt: Inter iſta locus primo obſeruandus ſeſe offert, quamobrem ſi Anthrax in partibus principibus mẽbris propinquis, & præcipuè Cordi inſideat, deterior eſt: ad quod reſpiciens Celſus dicebat. Et ſi circa Stomachum, fauceſq; incidit, ſubito ſpiritum ſæpe elidit propter laſionem Diaphragmatis, & laryngis. Lethalis quoque ille eſt, qui in Emunctorijs erumpit, & præſertim Cordis, nam facili negocio ad præcipua viſcera malam qualitatem tranſmittit. De Cauſſis efficientibus ita ſentio, dũ ſanguis atrabi-

Prognoſtica ab Aſſidentibus ſignis deſumpta.

A loco.

A Cauſis.

atrabilaris purus eſt, & conſequenter Carbunculus Legitimus, formidandum quidem, ſed multo magis ſi ſanguini atra bilaſi vitellina bilis, porracea, Iſatodes, Cærulea vel Æruginoſa copuletur. Tutior Carbunculus iudicandus, qui Pituitæ, aut Bili flauę, aut Melancholię naturali, aut ichoribus aſſociatur; eo magis ſi febris deſit; vel ſi adſit, ſit Ephemera, quam Celſus hoc capite febriculam appellat. Verum febris abſentiæ fidere haud debemus, niſi alia ſigna ſalubria pręſto ſint: nam in malignis defluxionibus, vt adnotauit Gal. primo in tertium Epide. tex. com. 8. Vbi manifeſtus dolor, & febris abeſt, putreſcit pars, vt nonnunquam cogamur ſolidam præcidere. Dum autem in humoribus febris accenditur, periclitãtur Aegri: quod ſi maligna in Venis lateat putredo, nil deterius in hoc caſu excogitari poteſt. Ex iſtis omnibus morbi magnitudo indagari poteſt; necnon ex alijs ſymptomatibus ſuperuenientibus; vt Delirium, Somnus profundus, Nauſea, Vomitus, Lipothymia, Syncope, & alia quæ ſequenti cap. afferentur. Iſtis argumentum à iuuantibus deſumptum eſt addendum; propterea quod ſi ſanguine miſſo, medicamẽtis exhibitis, Inuſtione, & alijs, quæ dicentur, ritè adminiſtratis, corruptio proſequatur, & accidentia augeantur, ſignum Galeno autore tertio in primum Epid. tex. com. primo ingentis malignitatis eſt. Oppoſitum, ſi remedia iuuent, enunciabitur.

A ſymptomatibus.

Prognoſtica à iuuantibus, & lædentibus.

Prognoſtica ex Virium robore deſumpta.

Reſtat, vt ea perpendamus, quæ Virium robur ſignificant. Galenus de huiuſmodi cognitione agens lib. de Conſtitutione Artis cap. 18. hæc docet, ergo robur naturæ ex proprijs pręſertimq; ex pulſuum actionibus agnoſces, quãdoquidem Vitalis opus ij ſunt facultatis. Si itaque Pulſus in vehementia, & debilitate, nec non in alijs pulſuum differentijs ad naturalem pulſum magis accedat, Virium arguit conſtantiam, ſi verò ab hoc maximè recedat, eaiundem debilitatem eò maiorem, quò receſſus eſt maior. Cęterum quamuis robur uitalis facultatis ſit attendendus, hæc enim pręcipua eſt, & aliarum omnium fundamentum, attamen non inconuenit ad cœteras quoque, animalem nempe, & naturalem oculos dirigere, quemadmodum direxit Hipp. 4. Aphoriſ. Aphor. 35.

dum

dum dixit. In Quouis morbo mente conſtare, & bene ſe habere ad illa, quæ offeruntur bonum, contra vero ſe habere malum. Mentis quippe conſtantia, quemadmodum etiam ſenſus integritas, motioniſq; facilitas Animalis facultatis; facilis autem ciborum aſſumptio naturalis vigorem oſtendit. Cuius poſtremæ conſtantiam optimè etiam demonſtrant excrementorum coctiones, & præcipuè Vrinæ, ex his enim Naturam morbum ſuperaſſe declaratur, vt eodem loco Galenus aſſeruit.

Diximus ex quibus Anthracis maligni magnitudo, & Virium ipſum patientium robur colligatur, ſupereſt, vt quiſq; in particularibus ſe exerceat, nam, vt adnotauit Galenus primo ad Glauco. 8. huic præſagiendi doctrinæ magna debet coniungi experientia, tum alias ob cauſſas, tum quia nec ſcribi, nec omnino ſermone edoceri ſingulorum quantitas poteſt. Tranſeo ad Prognoſtica Carbunculi Peſtilentis.

CAPVT QVINTVM.

De Signis Prognoſticis Carbunculi Peſtilentis.

PRAESAGIENDI Methodus proximo capite propoſita cum omnium morborum ſit communis, Peſtilenti quoque Carbunculo facile aptabitur. Ab hac igitur non recedentes, dicimus magnitudinē, quæ ex illius naturæ cōſideratione oritur talem eſſe, vt pauci ab ipſo obſeſſi conualeſcant. Ea etenim eſt ſummæ, & excellentis iſtius putredinis vis, vt qui talem facultatem vel ab initio tum perfringat, tum pauco intermiſſo tempore, ni generoſa adhibeantur præſidia, penitus euertat. Minorem vero obtinet magnitudinem in primo ſui ortu, quod reſpiciens Auerro. 7. Collig. cap. 31. ita loquutus eſt. Et hæc paſſio ſanationem non recipit, niſi à principio; ſed ſi inueterabitur, incurabilis efficietur. Præterea ad ſummū magnitudinis gradum accedit ille, qui tempore Peſtis erumpit, nam confirmatę Peſtis præbet indicium: de hoc

Prognoſtica à morbi ſpecie.

Carbunculus Peſtilens non recipit curationem niſi à principio.

tertio in tertium Epidi. tex. com. 14. ſic loquitur Galenus. Iam Carbunculorum perpetuo eſt periculoſus affectus, nam ex vitioſis conſtat humoribus. Quare nunc veriſimile fuerat pernicioſiſſimum illum fuiſſe, qui vltra natiuum vitium, etiam quod ſtatus afferebat, adiunctum haberet. Hæc pertinent ad morbi Speciem, quibus alia quoque ſuperius prolata ſunt addenda.

Prognoſtica à ſignis Pathognomonicis.

Succedunt conſideranda ſigna Pathognomonica Contagium ſcilicet, febris Peſtilens, & Virium ingens iactura; nã ad alia Pathognomonica ſigna proximè conſiderata quod attinet, eadem in vtriſq; Carbunculis præſagiunt. Iſtis ergo dimiſſis, ſi de Contagio ſermo ſit, patet Carbunculum illum peſſimum eſſe, qui non ſolum à validiſſimo excitatur contagio, ſed etiam ad diſtans ſuam infectionem cõmunicat. De Peſtilenti febre afferendum, Carbunculum eſſe magis lethalem, qui vehementiorem febrem habet adiunctam. Signa quæ huiuſmodi vehementiam declarant, ab illis, qui de hac materia pertractarunt, ſunt petenda; & in primis à doctiſſimo, & acris ingenij Viro D. Thoma Minadoo Rhodigino, Comite Palatino, & Præceptore meo nunquam ſatis laudato, qui de febre hac maligna, & Peſtilenti tractatum edidit abſolutiſſimum. Sat mihi eſt in præſentia admonere. Magis optandum, vt febris Carbunculum ſubſequatur, quam præcedat, hinc enim facultatis expultricis robur colligitur. De Virium iactura ſatis conſtat eam, quo maior eſt, maiorem ſui hoſtis, morbi nempe potentiam denunciare.

Prognoſtica à ſignis Aſſidentibus.

Nunc Aſſidentium ſignorum, quæ à Galeno primo de Criſibus tertio ſuperuenientia ſymptomata dicuntur, conſiderationem aggrediamur, de quibus omnia ea, quæ ſuperiori capite tradidimus, tanquam Anthraci Peſtifero communia, amplius repetere non eſt in animo, cum ſatius videatur ad magis propria deuenire. Rediguntur hæc ad tria capita, ad Affectus mutatos, Actiones læſas, & Exeuntia mutata. Inter affectus primas habet calor, qui ſi extrinſecus mitior ſit, & interim ægrotantes in partibus internis maximo æſtuent incendio, malè ſperandum, quia in nobilioribus partibus peſſima graſſatur Putredo. Spectat ad hoc idem caput corporis

Ab affectibus mutatis.

ris qualitas quæ ex figura, ex colore, & ex mole totius, & præſertim faciei ſpectatur: vnde ſi faciei figura ſimilis ſit figuræ Aegrotantis, dum benè valebat, vel figuræ ſanorum: ſi eius color, & moles hoc idem habeant, futuram pollicentur ſanitatem. Si diſſimilis ſit, quò maior diſſimilitudo, maior mortis metus, & præcipuè, dum Hippocratica facies inſpicitur, vel admodum tumida in Carbunculis Caput occupantibus. Similiter, ſi color totius corporis ad liuidum, vel nigrum tendat, mors imminet. Prauum quoque ſignum eſt, ſi iniucundos admodum ſapores Aeger in ore perſentiat: ſi fœteat anhelitus: & ſi vox rauca ſit, difficiliq; perceptibilis negocio. Affectibus mutatis læſę ſubſequuntur Actiones, & primo Animales, quoniam ſi decubitus præter naturam ſit cum corporis iactatione: ſi partes tremulæ conſpiciantur: ſi ſenſus extrinſeci diminuti, aut deprauati; ſi ſomnus profundus, vel vigilię: ſi delirium morbi magnitudinem: ſi hæc naturaliter ſe habeant morbi paruitatem inferre decet. Eadem ratione, ſi lipothymia, vel Syncope, vel Cordis Palpitatio ſuperueniant, peſſimè rem ſe habere ſignificandum, quia Vitalis facultas admodum patitur. Tandem; ſi Aeger Nauſea; vel Vomitu conflictetur, & cibos penitus refugiat, idem arguitur propter naturalis facultatis læſionem. Ab excrementis poſtremo magnitudinis morbi argumenta ſumuntur, loquimur nunc de vniuerſalibus; quæ quatuor ſunt; Sudores, Vrinæ, Alui excrementa, & illa, quę per Vomitum expurgantur. De Sudore ſtatuimus malum eſſe ferè ſemper, & præſertim ſi admodum copioſus, ſi frigidus, ſi fętidus, ſi in die nòn critico, ſi in facie tantum erumpat, & ſi ſenſim, paulatimque ſtillet, omnes enim iſti ſymptomatici, & diaphoretici ſunt: Vrinę malę, ſi vel aqueę, & tenues; vel craſſę, & ſubiugales apparent: optimæ ſunt, quæ tum in ſubſtantia, tum in colore, & contentis coctionem oſtendunt. Alui excrementa admodum copioſa, fętida nigra, & colliquatiua, mala: quod ſi naturalia ſint, bona. Vomitiones etiam, ſi flauæ, vel virides, vel cęruleę, vel æruginoſæ, vel nigrę conſpiciuntur, peſſimæ, eò magis ſi Aegri deſit tollerantia: bonæ, ſi pituitoſę ſunt cum aliqua Bilis portione, dummodo Aegri leuiter ferant.

Ab Actionibus læſis.

Ab Excrementis.

Deliteſcentia Carbunculi lethalis.

Vnum maxima dignum annotatione animaduerto, quod quamuis in omnibus Carbunculis locum habeat, pluries tamen in hoc, de quo in præſentia agimus, ſolet contingere; hoc autem eſt, ſubita adhuc præſentibus ſymptomatibus tumoris Carbunculi Deliteſcentia. Quam aliquando accidiſſe vidi in Muliere Septempedana Peſtilenti Carbunculo in fronte laborante: cum enim prauis adhuc vigentibus accidentibus tumor delituiſſet, paruo temporis ſpacio è viuis diſceſſit. In quo caſu animaduerti rebus in deterius ruentibus, ex Carbunculi vlcere magnam Ichorum nigrorum, & virorem præſeferentium copiam profluxiſſe, quod in Peſtilentibus Carbunculis alias accidiſſe teſtantur ſcriptores. Reſtat poſtremo & aliud, quod ſemper memoria eſt tenendum, illum videlicet Anthracem maximum, & pernicioſiſſimum eſſe, qui omnibus ritè adminiſtratis ſemper in deterius labitur.

Hiſtoria Mulieris Septempedana.

Prognoſtica à Virium robore.

De Virium robore pauca ſunt diceda, nam ex ſuperius traditis vnuſquiſq; Virium ſtatum cõmode indagare poteſt, illud tamen nullo pacto reticendum, optimam eſſe, tã in hoc, quam in aliis Peſtilentibus morbis largam ciborum aſſumptionem, nam vt habemus tertio in tertium Epidemiorum tex. com. 58. in illa conſtitutione peſtilenti fortiſſimi, qui vim ſibi ipſi inferentes oblatum cibum aſſumpſerunt, omnes ferè ſuperſtites fuere. Sũma (vt vno verbo dicam) præſentis negocij eſt Virium conſtantia, quoniam ſi hæc adſit morbus aliquando ſuperatur. Si autem vires fatiſcant, hi peſtilentes Carbunculi in primis diebus jugulant, vt euenit Ariſtocrati, qui vt legitur ſeptimo Epide. tex. 39. tertia die obijt: vel ſaltem ſeptimum non excedunt, quem diem nonnulli ſtatuunt pro termino iſtius affectus, dicentes, quod ſi Aeger poſt ſeptimum perit, mala potius cura id euenit, quam huiuſce naturæ morbi. Vnde experientia comprobatum eſt, Vlcera Carbunculorum, quæ poſt ſeptimum remanent, quamuis aliquando ad triginta, & quadraginta dies aperta permanſerint, non fuiſſe tamen contagioſa. Ita ſenſit clariſſimus quidam Doctor Patauinus, cuius opinionem ſtudioſis penſitandam proponentes, huic ſecundæ ſectioni finem imponimus.

Si ager poſt ſeptimum perit mala cura id euenit.

Vlcera Carbunculorum poſt ſeptimũ non ſunt amplius contagioſa.

M. AN-

M. ANTONII TOSII MEDICI, ET PHILOSOPHI.

De Anthrace, ſeu Carbunculo.

SECTIO TERTIA.

CAPVT PRIMVM.

De Methodo curatrice ambabus Carbunculi Speciebus inſeruiente.

CVRATRICEM Methodum immediatè præſidiorum materijs eſſe præponendam maxima ductus ratione docuit Galenus lib. 3. Meth. cap. 5. his verbis: Compoſitio medicamentorum Medendi Meth. ſequitur, quippe vbi hæc vniuerſale præcepit, dico autem, aut refrigerandum, aut calefaciendum, aut aliquod huiuſmodi faciendum, quo pacto quis ea commodè ad vſum miſcuerit conſiderare conueniet. Optimè igitur faciemus in præſentia, ſi primum circa Carbunculorum indicationes, deinde circa remedia Chirurgica, Pharmaceutica, & Dietetica in hac eadem Sectione verſabimur. Agemus vero de Indicationibus, ſic enim rationalem Medicum decet: quoniam etſi ab alijs remediorum materiæ in morbis curandis deſumi poſſunt, nempe ab Experientia, & Analogiſmo: atq; à Theſſali Cõmunitatibus: illud Empiricorum eſt, hoc Methodicorum. A quibus ſectis rationem ipſam floccifacienti-

Indicationes Præſidiorũ materijs immediatè ſunt præponendæ.

Summa iſtius Sectionis.

cientibus,nos,qui Aſclepiadam,Hippocraticam ſcilicet profitemur doctrinam, cane peius, & Angue abhorrentes iure merito rationales perſequimur indicationes: quæ à tribus,vt rei natura, & Galenus docet nono Meth. cap. ſexto Morbo, Cauſſa morbi,& Viribus,ità deſumuntur, vt prima duo tanquàm res prçter naturam contraria: vltimum, vt res naturalis, ſimilia expoſtulet.

Indicationes deſumuntur à tribus.

Indicationes à Morbo deſumpta.

Hæc tractationi noſtræ applicãtes dicimus,in Carbũculis trià morborum genera reperiri: Vlcus: Calidam ſiccamq; Intemperiem: & Tumorem inflammatorium. Vlcus, cum ſit ſoluta vnitas,indicat vnionem;quæ vlcere ſordido, & cauo exiſtente fieri nequit,ni prius abſtergentia, carnem generantia, & cicatricem obducentia adhibeantur. Intemperies calida,& ſicca refrigerationem,& humectationem expoſcit: ſed cum vrgeat magis putredinalis humiditas,quam ſicca intemperies hac prætermiſſa, in illam incumbendum. A Tumore, cum ſit morbus logicus, & ad cauſſæ remotionem amoueatur, nulla vtilis elicitur indicatio. Hæ propoſitos morbos reſpiciunt.

Indicationes à cauſſis,& primo à ſanguine feruido,& putrido, Vlceris cruſtoſi cauſſa.

Cauſſæ proprias & ipſæ habent cõſiderationes, aſt varias pro ipſarum varietate. Sanguis feruens, & putridus, qui Vlceris cruſtoſi, & depaſcentis eſt in cauſſa, cum ſit res toto genere prçter naturam,radicitus eſt extirpandus,aut excedentibus medicamentis, aut ignitis ferramentis,aut alijs valide exiccantibus præſidijs. Et quia putridi Vapores ab iſto ſanguine eleuati Cor ipſum inuadere,& calidum innatum vehementer labefactare ſolent,præſertim in Carbunculo peſtilẽti Alexipharmaca quoque ſunt offerenda. Sanguis prætera atrabilaris tanquam calidus refrigerandus. Tanquam verò cauſſa,quæ partem in Tumorem eleuat inflammatorium triplicem habet conſiderationem: quia vel iam ad patientem particulam defluxus eſt, ibiq; impactus: vel adhuc ad illam defluit; vel defluere poteſt. Si vt defluxus conſideretur oritur indicatio euacuãdi quod fit dupliciter, & ſenſibiliter per ſcarificationes,& ſectiones:& inſenſibiliter per medicamenta diaphoretica, quæ per effluxum ratione contemplabilem materiam impactam reſoluunt. Quod ſi ad defluentem ſanguinem

Indicationes à ſanguine atrabilari defluxo. Inflammationis cauſſa.

Indicationes à ſanguine atrabilari defluente.

guinem oculos dirigamus;cum motus hæc tria neceſſariò habeat, terminum à quo, terminum ad quem,& ſpacium per quod: ratione termini à quo indicantur Reuellentia: ratione ſpacij intercipientia: ratione termini ad quem ſi motus fiat per impulſionem indicantur Reprimentia: ſi per attractionē Refrigerantia & Anodyna,prout vel calor, vel dolor attractionis eſt in cauſſa. In vtroq; caſu habita ratione materiæ reſidentis non in Poris,aut ſpacijs patientis particulæ,ſed in Venis,ijſq; non capillaribus locum habent Deriuantia. Tandem ſanguis iſte vt in potentia fluxilis,& calidus nimis,& copioſus exiſtit: vnde ipſius feruorem refrigerantibus contemperandi, & copiam euacuantibus minuendi,elicitur indicatio, quæ quamuis poſtremum locum habeat,primum in opere obtinere debet. *Indicationes ab eodē ſangui ne in potentia fluxili.* Et quia hæc copia (cõmuniter nunc huiuſmodi vocem accipio) multiplex eſt, namq; vel Plethora, vel Cachorhymia,vel vtrũq; ĩ corpore viget:tũ Venę ſectio, tũ Purgatio,tũ Vtramq; pro redũdantiæ ſpecie vſurpabitur. Præterea cum quælibet redundantiæ ſpecies ſuas habeat nõ nunquam remotiores cauſſas adhuc vigentes,hæ ſiue Procatharticæ,ſiue antecedentes ſint contraria expoſtulant:gratia exempli. Calida,& ſicca Iecoris intemperies, refrigerantibus, & humectantibus tollenda: Obſtructiones aperiendæ: Aer calidus refrigerandus,& putridus corrigendus illis,quæ Putredinem abolere valeant. Diſputant recentiores,an Aer indicet in ratione ſigni,an alio modo;qua de re longius agere non eſt præſentis negocij,cum illud noſſe ſufficiat ex Galeno tertio Meth. cap. 8. noxios Aeris exceſſus eſſe corrigendos,& ad contrarium permutandos. *Aeris exceſſus corrigendi.*

Indicationibus à Carbunculorum cauſſis ſic fluentibus expoſitis ad Vires ſermonem conuertemus, quæ cum duplicis ordinis ſint Vniuerſales; & Particulares, illæ ſui cuſtodiam per debita alimenta: hæ per medicamenta, quæ Tonum, & proprietatem laborantium partium ſeruent, requirunt. *Indicationes à Viribus.* Quãobrem Corde laborante, quod vt plurimum accidit Cardiaca: Ventriculo, vel Cerebro, vel alijs partibus patientibus, Stomachica, Cephalica, & alia partes affectas reſpicientia, ſunt adminiſtranda remedia. Habenda quoque ratio eſt par-

tium

tium à Carbunculis obſceſſarum, de quarum indicationibus, in curationis progreſſu, & præcipue in cap. de Carbunculis particularibus nonnulla magis neceſſaria attingemus.

Hactenus de Carbunculorum indicationibus, de quibus inferius quoq; multa docebimus, doctrinam iſtam vniuerſalem ad particularẽ coarctando, ita vt non modo pateat quid agendum, ſed quantum, quomodo, quando, & vbi. Reliquũ eſſet ad huius cap. perfectionem, Indicationes, quæ ab aliquibus morbis, & ſymptomatibus Anthraces cõ comitantibus, & cauſſę rationem ſubeuntibus hauriuntur, in medium afferre. Sed quia de iſtis particulari capite clarioris doctrinæ gratia differere eſt conſilium, nunc in illis recenſendis non erimus longiores.

CAPVT SECVNDVM.

De Chirurgicis Remedijs tam Maligno, quam Peſtilenti Carbunculo accomodatis.

Remedia Chirurgica Carbũculorum duplicia. CHIRVRGICA Remedia in Carbunculorũ cura ab Autoribus cõprobata, duplicẽ ſortiũtur naturã, etenim alia eos quatenus in generatione ſunt: alia quatenus iam genitos reſpiciunt. Ex quibus prima tantum in hoc capite proponam, cætera ad commodiorem *Quot ſint Remedia Chirurgica Carbunculorum quatenus in generatione ſint.* locum conſulto remittens. Sunt iſta numero quinque Venę ſectio, Hirudines, Malleolorum ſcarificationes, Cucurbitulæ, & Veſſicantia ipſa.

Vena ſectio. Ad Venæ igitur ſectionem quod attinet, hæc vt in alijs magnis morbis à ſanguine procreatis, ita & in Carbunculorũ curatione primas obtinet. Quamobrem omnia ad ipſam attinentia optimum erit ad examen reuocare, ne in negocio tanti momenti error committatur. Vt autem à Veterum auctoritatibus ſumam exordium, videamus primo quid hac de re docuerit Galenus 14. Meth. cap. 10. his verbis: Sed & incipiendam ab inciſa Vena curationem eſſe, id quoq; neminem

nem latere arbitror. Quæ dictio aperte demonſtrat commu- nem Medicorum conſenſum hunc eſſe, vt in Carbunculis Vena ſecetur: & vere eſt ita, Nam Auic. tertia quarti tract. primo cap. 10. Auerro. tertio Coll. 31. Aetius, Paulus, Oribaſius, & vt vno verbo me expediam, cœteri omnes idem ſtatuerunt. Ratio huius cōcordiæ eſt hæc: ubi conuenit Venæ ſectio, vbi ſanguis facit, vel fouet morbum magnum, at in Carbunculis cauſſa præcipua ſanguis exiſtit, ergo in illorum curatione Venæ ſectio indubitanter requiritur. Verum non tantū hoc nomine iſtud remediū probatur, ſed ēt quia morbo hoc laborantibus frequenter cuncta exæſtuant, & ardent, vnde febres, & illæ quidē de genere Ardentiū non rarò, ad quarū febriū feruorē extinguendū nil melius ſanguinis miſſione.

Omnes conſentiunt ſanguinē eſſe mittendum.

De recto huius materiæ præſidij vſu, & primum de quantitate, ſtatuendum in Anthracibus malignis quæ vehementem febrem habent adiunctam maximam eſſe debere, vſque ſcilicet ad Animi deliquium, quia ſanguis peccans copioſiſſimus, & calidiſſimus eſt. Et ſicubi locum habet Galeni ſententia primo Apho. tex. com. 23. nullum ſcilicet ſe in febre ardentiſſima, in maxima inflammatione, & in vehementiſſimo dolore reperiſſe magis præſentaneum remedium, quam ſit ſanguinis detractio ad Animi vſq; deliquiū. In hoc maxime affectu, ſi vires id patiātur, locū hēt, cū vehemēs ſit dolor, maxima inflammatio, & maxima febris: ex copioſa.n. ſanguinis euacuatione ſtatim totius corporis habitu refrigerato, extinguitur febris, remittitur inflammatio, & mulcetur dolor. Hanc largam ſanguinis miſſionem proponit Galenus, proponunt & alij, inter quos eſt Aetius locis nuperrime citatis: Aetij verba ſunt hæc: Carbunculum igitur vbi primum eruperit ſtatim curare oportet ſanguine vſq; ad animi deliquiū euacuato: niſi enim Venę ſectionem quid prohibeat, à nullo auxilio maius conſequitur iuuamentum. Qua in re licet admirari ingenium Auic. Viri alioquin inter Arabes eminentiſſimi, hic enim quarta primi cap. 22. agens de Phlebotomia inquit, ſi mali humores cholerici in eo fuerint, ſubtili pharmacia euacuentur, aut vomitu. Veretur namque ne ſanguine miſſo, quem ipſe frenū bilis appellat, fiat Cholericorū

Quantum agendum.

Mittendus eſt ſanguis ad animi deliquiū.

Nota de Auicenna.

ebullitio, quam tantopere ſemper extimuit, vt in cura febris ardentis hæc literis conſignauerit. Et non phlebotomentur, fortaſſe enim inflammabit eos. Iſtis non obſtantibus tertia quarti tract. primo cap. 10. tradens curationem Prunæ, & Ignis Perſici, contrarium ita proponit. Neceſſaria eſt Phlebotomia, vt euacuetur ſanguis cholericus, & quando ægritudo eſt timoroſa, tunc neceſſarium eſt ipſam appropinquare ſyncopi. Hæc omnia non alio conſilio in mediũ attuli; quam vt quiſq; animaduertat maximè in hoc caſu copioſam ſanguinis euacuationem ab omnibus ſcriptoribus approbari. Verum hac in re maxima opus eſt cautione, nam per animi deliquium non debemus Syncopem ipſam, ſed lypothimiam id eſt leuem virium defectum intelligere, qui vt in Ætate florenti, & virium robore nullo pacto ſuſpectus eſt, ita Syncope extremum affert periculum, quod vel ex Galeno ipſo colligitur. lib. de curandi ratione per Venæ ſectionem cap. 12. vbi de tribus Medicis facit mentionem, qui dum tribus ægrotantibus ſanguinem mitterent, eos ad tantũ Animi deliquium perduxerunt, ad Syncopem ſcil. vt vires amplius recuperare nequiuerint, & ex cõſequenti mortem cum vita commutauerint. Quod alias ſimiliter contigiſſe refert Galenus nono Meth. cap. 10. ſic dicens: Duos namque in ipſorum Medicorum manibus perire vidi, qui poſtquam animo linquerentur, nunquam reuixerunt. Multi vero & ſi non protinus, at poſtquam animo linquerentur, nunquam reuixerunt. Vnde diligenter hoc negocium tractandum, ſed hodierni Medici & Chirurgi nullo pacto imitandi, quorum maior numerus ita formidoloſus eſt, vt nunquam audeant ſanguinem tam copioſè euacuare: immo piaculum illis videtur, dum aliquis ſex, aut ſeptem ſanguinis vncias traſcendit, dicuntq; hiſce temporibus hominum naturas magis delicatas, & imbecilles eſſe, quam Galeni ætate: alias præterea aniles iactant fabulas deriſione potius, quam reprobatione dignas. Nam Mundus idem eſt qui olim fuit, anni tempora eundem ordinem ſeruant, Sol circuitus ſuos nulla ex parte mutatos percurrit, denique quæq; ſtella ſiue fixa, ſiue errans eãdẽ omnino ſtatus rationem retinet. Quamobrem, vt hanc partem

Sanguinis miſſio vſque ad Animi deliquium ab omnibus approbatur.

Quid per Animi deliquium ſit intelligẽdũ.

Ob nimiã ſanguinis euacuationem aliqui mortui.

Ridicula Medicorum, et Chirurgorum huius temporis cõſuetudo.

Mundus idem eſt, qui olim fuit.

bicui-

breuibus complectar, ſi Carbunculus legitimus ſit, & non peſtilens: aut illegitimus quidem, ſed ob alicuius exurentis bilis ſpeciei permiſſionem: ſi vires conſtet, ætas floreat, tempuſq; anni permittat, ſanguis ſemper ad lypothymiam incipientẽ vſque ſine vllo timore euacuetur. Si autem Carbunculus naturam habeat peſtilentem, cum fieri nequeat, vt ipſo præſente uires conſtent, ſanguis moderate, & partitis viribus mittendus. Neque audiendi ſunt, qui credunt Galenum in Peſtilentibus etiam Carbunculis ſanguinis miſſionem vſque ad animi deliquium approbare, dicẽtes, quod 14. Meth. cap. 10. vbi mentio fit de Carbunculis, qui per Aſiam populariter uagati fuere, talem ſanguinis euacuationẽ proponit. Quippe non inconuenit Anthraces populariter vagati, nec tamen eſſe Peſtilentes. Sed vtcunque ſit, de huiuſmodi affectu in illo capite communiter agitur, & quamuis Galenus ibidem prædictam ſanguinis miſſionem commendet; ſubdit ſtatim, ſi nihil obſtet ex ijs, quæ Venam incidi vetant. Ex quibus verbis infertur, quod ſi aliquid tam abundantem ſanguinis euacuationem interdicat, illam prætermittere oportet: interdicit in Peſtifero Anthrace Virium imbecillitas, ergo in ipſius curatione ſanguis moderatè educendus. Immo ſi Carbunculus Peſtilentem febrem ſubſequatur, & virtus ſit admodum afflicta, tum ob morbi malitiam, tum ob ſanguinem iã ratione febris extractum, ab iterata ſanguinis miſſione abſtinendum. Semper enim ad Virtutem attentè reſpicere oportet, quod fecit Hippoc. in caſu Critonis Peſtifero affectu laborantis, & idcirco ſecunda die accerſitus noluit ſecare venã, vt docet Galenus in cõmentario. Attamen neque id pro vniuerſali præcepto recipiendum, ſed ſi ſecunda, aut tertia die Carbunculus appareat, & abſit prohibens Virium ſcil. lapſus licet intrepidè Venam ſecare, quamuis iam à principio ſecta fuerit. In Senibus vero, Pueris, & Mulieribus prægnantibus, nec non in Carbunculis illis illegitimis, in quibus magis viget cacochymia: Demum in quocunque caſu magis vires quam deceat, debiles ſint, parca conuenit ſanguinis euacuatio; hoc ſemper reſpectu habito, vt quò maior inflammatio, febris, & Dolor, eò copioſior ſanguis educatur, eo magis ſi

In quo Carbone ſanguis mittendus ſit vſque ad Animi deliquium.

In Carbone Peſtilenti moderatè, & per Epicraſim ſanguis eſt mittendus.

Sanguis in Peſtilenti Carbũculo aliquando nullo pacto mittendus.

In quibus Carbunculis parca conueniat ſanguinis miſſio.

ſanguis per venam ſectam fluens malus ſit. Immo cum prohibentia talia exiſtunt, vt ſanguinis extractionem per venam ſectam omnino impediant, illis vtendum, quæ huius præſidij vicaria ab Autoribus cenſentur, de quibus inferius pertractabimus.

Quando agendum. Nunc de Tempore ſanguinis miſſionis loquentes, aſſerimus in ipſo ſtatim morbi initio huiuſmodi remedium eſſe adminiſtrandum, quia ſanguis peccans in hoc morbo omnia alia vincit indicantia, quod ex Aetij verbis ſupra allatis, & ex illis, quæ dicuntur à Galeno lib. 14. Meth. cap. 10. veterum fuiſſe placitum confirmatur. Vnde in Praxi notandum, vt qualibet hora etiam intempeſta nocte, ſi morbus vehementior exiſtat, & acceſſionis febrilis principium non impediat iniecto prius Clyſtere, ſi opus ſit, ſanguis mittatur: nam ſi differatur Vires deficiunt, & tumor ad tantam eleuatur magnitudinem, vt non recipiat amplius curationem.

Vbi agendum. De loco non ita conſtat, immo antiqua inter Barbaros ſcriptores eſt hac de re controuerſia: quorum aliqui incipiente morbo, Reuulſione à parte longinqua, & oppoſita opus eſſe contendunt: aliqui Reuulſione à parte vicina ſeruata rectitudine. Illorum expenderem rationes, ſi pondus aliquod ipſis ineſſet; at quia leues ſunt, libenter dimittam, iſtorumq; declarabo ſententiam, quam Galeni placitis, & rationi puto conſentire. Fundamentum iſtius opinionis ſitum eſt in cap. 6. lib. 13. Meth. vbi hæc leguntur verba. Communis omniũ phlegmonarum curatiua indicatio eſt euacuatio. Quæ vero adhuc in generatione ſunt, in ijs prior eſt euacuatione confluentis ad affectum locum ſanguinis inhibitio. Hoc cum ita ſe habeat, cui dubium, quod inflammationis, quæ in generatione reperitur inhibitio, fit præcipuè vacuando materiam per Venæ ſectionem, ſi adſit plenitudo, & eandem ad partes contrarias reuellendo, etiam ſi plenitudinis ſigna deſiderentur. Sed quæſo, nonne aliquando Carbunculos ſanguinis copia comitatur? dubio procul, ergo euacuatoria venæ ſectione in ipſis vtendum, & ſi ſanguinis copia deſit, vena tamẽ ratione reuulſionis incidenda. Iſtis iactis fundamentis, ſtatuo in Carbunculis curandis ſemper venæ ſectionem tanquã

In Carbunculo probatur Venæ ſectio euacuatoria, & reuulſoria.

præſi-

præſidium reuulſorium locum habere, ſæpe etiam tanquam euacuatorium, quibus duabus indicationibus vnica tantum aperta vena ſatis fieri poteſt. Declaro, ſi affectus ſit in Inguine dextro, & in corpore plethorico, Vena Poplitis, vel tali eiuſdem lateris exciſa euacuat, & reuellit. Verum, vt reuulſionis leges melius intelligantur, ex quarum intellectione quæſtionis præſentis determinatio dependet, præſtat cum Galeno adnotare quinto Aphoriſ. tex. com. 63. Reuulſionẽ ſemper fieri à parte oppoſita, vel ratione ſurſum, & deorſum: vel dextri, & ſiniſtri: vel anterioris, & poſterioris: vel vt habetur quinto Meth. 3. ratione illorum, quæ intus habentur ad ea quę foris ſunt, ideſt ratione internorum, & externorum. Ex iſtis quatuor oppoſitionum differentijs, duæ potiſſimum priores, nec non poſtrema in Carbunculorum curatione ſeruantur: Vnde g. c. ſi morbus hic in brachio dextro ſit, venā ſiniſtri brachij, ſi in dextra parte imi ventris venam dextri poplitis, aut malleoli: ſi in dextra pectoris parte, Iecorariā dextri brachij pertundimus. Hæ ſanguinis mittendi rationes non tantum ſupradicta præſtant, ſed etiam aliquo pacto deriuandi facultatem obtinent. Hic notandum in Inflammatorijs tumoribus licere, dum morbus Artus occupat, reuulſione vtiā ſurſum ad deorſum, Vnde Gal. 2. ad Glauco. 2. in Inflammatione Cruris venam brachij eiuſdem lateris inciden dam conſulit: ſed in Carbunculis cum à materia maligna ve neno ſimili ortum ducant, id nullo pacto efficiendum, nam peſſimi illi humores ad partes principes retraherentur, quo nil deterius. Æxtat huiuſce rei ampliſſimum teſtimonium apud Luſitanum Centuria prima curat. 97. cuius verba libet hic ad maiorem confirmationem apponere. Medicus quidam, cum in ægrotum quendam Carbunculo prope genu laborantem incideret, illi Sanguinem per venę ſectionem in Brachio extraxit, ex qua venę ſectione, illico æger in obitum deuenit, ob raptum enim ſanguinis venenoſi, & in Carbone obſtruſi, mors ſubſequuta. Satius itaq; eſt oppoſitione ſeruata, quæ eſt à Dextris ad ſiniſtra, dum Carbunculus in Inguine, Coxa, & Crure dextro eſt ſecare venam internam Siniſtri Pedis: ſimiliter etiam dum Carbūculus eſt infra Brachij

Reuulſionis leges.

Hiſtoria Luſitani.

Qua Vena ſit ſecanda, dum Carbunculus artus occupat.

dextri

dextri flexuram, venam incidere magis conſpicuam alterius brachij: Quod itidem de coxa, & brachio ſiniſtro aſſeuerandum. Scio Petrum Foreſtum alterius fuiſſe ſententiæ, cum libro 24. obſeruatione 22. firmiter ſubſtineat Iuuenem Anthrace peſtifero in manu laborantem ob ſectam venam alterius brachij, ſic iubente Seniori Medico, obijſſe, quia venenum ad ſuperiora raptum eſt, & ad cor, aliusq. carbunculus ſub ala eſt obortus: quæ non eueniſſent, ſi ex loco proximo eiuſdem lateris ſanguis fuiſſet detractus: ex eodem ſcil. brachio, vt ego interpretor. Verum dicat mihi quæſo Foreſtus, iſta ſanguinis euacuatio, eſtne reuulſoria? nihil minus; ſed potius deriuatoria. Quomodo igitur conuenit in principio, ſi tunc longiſſimè a tentata fluxione parte quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit, vt vena eiuſdem partis inciſa proculdubiò eueniet. Hinc inflammationis, doloris, & febris exacerbatio, multaq. alia mala, quę euitari debere tum Galenus, tum vniuerſa Medicorum ſchola iam diu decreuit. Nec argumentum Foreſti alicuius eſt roboris, nam vena caua a dextro cordis ventriculo ad ſuperiores progrediens partes iuxta iugulum bipartitur, vnde ſanguis qui eſt in fluxu a dextro brachio ad ſiniſtrum euulſione attrahi poteſt corde intacto. Dixi ſanguinem, qui eſt in fluxu nam ſanguis deterior, qui partem affectam iam occupauit, reuelli nequit. Ex his ſatis conſtat, iuuenem illum non ab inciſione venę alterius brachij, ſed à vi morbi fuiſſe extinctum. De cœteris corporis partibus iam determinandum, inde ſumpto initio, quod inflammationes in iſtis exiſtentes, quantumuis attingant corporis ſuperficiem, habentur pro internis, vt doctè admodum adnotauit Valeſius 7. Controuerſiarum, cap. 4. Diuiduntur huiuſmodi partes in inferiores, & ſuperióres, cuius partitionis terminus Renes ipſi conſtituuntur, vt 13. Meth. ca. 11. & lib. de curandi ratione per venæ ſectionem cap. 18. colligitur. Partibus igitur ſupra Renes laborantibus ad hoc, vt reuulſio fiat ſecandæ venæ ſuperiores, ſeruata ſemper rectitudine: vnde Capite vniuerſo, & Collo Carbone in dextra parte patiete vena cephalica dextri cubiti reuellit, idem de ſiniſtra dice

In Foreſtum Hiſtoria.

Diuiſio corporis in partes inferiores, & ſuperiores.

Quæ vena incidenda in carbunculis capitis & aliarum partium exceptis artubus.

cendum. Pectore, Dorſo, & toto ſpacio quod eſt a Renibus vſque ad Collum eodem morbo oppreſſo, Iecoraria aperiatur, & ſi hæc non appareat, Mediana dextri, aut ſiniſtri lateris, prout morbus, vel in dextris, vel in ſiniſtris partibus permanebit. Partibus infra renes laborantibus, illis ſcil. quę ſub vmbilico ſunt, fit euacuatio cum reuulſione ſectis venis poplitis, vel malleolorum dummodo ſeruetur rectitudo; & quãuis renes ambigui nuncupentur lib. de curand. ratione per venæ ſectionem, cap. 18. nihilominus 1. in 6. Epide. tex. com. 6. inter inferiores partes recenſentur, & idcirco carbunculo ſupra illorum regionem permanente ſecandæ ſemper venę inferiores, eo magis quod ita praua, & deleteria illius qualitas cordi nequit communicari. Immo propter hanc rationem non eſſet ab re in carbonibus infra cordis regionem ſitis eandem ſeruare regulam, & præſertim in peſtilenti.

Supereſt, vt de modo aliquid enunciemus: hic cum à ſanguinis reſiſtentiæ vehementia indicetur, quæ vel maior, vel minor eſt, pro ipſius tenuitate, & craſſitie; monemus in præſentia ob ſanguinis craſſitiem maximam adeſſe reſiſtentiam, & propterea amplum foramen, dum vena inciditur debere effici. *Quomodo agendum.*

Cœterum in iſtis omnibus, quæ ad Phlebotomiam pertinent exequendis, vires ſemper, vt dixi, reſpiciendæ ſunt, nec tamen ætatis, conſuetudinis, anni temporis, & regionis prætermittenda conſideratio; dummodo hæc omnia tanquam virtutis ſigna accipiantur, quæ, ſi conſtans eſt, ſanguinis miſſionem prohibet; ſi debilis, aliquando pœnitus interdicit, aliquando permittit quidem, ſed ita moderatam, vt parua ſequatur virium iactura. In quo caſu conſueuere Medicæ Artis Profeſſores, vel hirudinibus, vel malleolorum ſcarificatione, vel cucurbitulis ſcarificatis vti, reuulſionis regulis ſemper ſeruatis. *Venę ſectionis vicaria.*

Sed inter has præſidiorum materias Hirudines maximo ſunt in vſu, tum in aliis carbunculis, tum præſertim in illis, qui tempore peſtis vagantur: cum enim tunc omnes fere peſte correptos tangere recuſent, poſſunt ægrotantes ſibi ipſis Hirudines admouere, brachijs, & pedibus, vt in peſte Pata- *De hirudinib.*

uina

rina multos maxima cum vtilitate feciſſe memoriæ proditũ eſt: qui ante Carbunculi etiam eruptionem primo morbi inſultu infundebant pedes in aqua calida, deinde ipſimet, vel affines tres, vel quatuor hirudines in vtroque pede applicabant. Ad rectum iſtius præſidij vſum quod attinet, inchoante morbo ſanguinis copia maior, vel minor educenda habito virium reſpectu. Quod vbi venæ aperiendæ iuxta doctrinã paullo ante aſſignatam, hoc animaduertendo, vt hirudine ablata foueatur locus ſpongia calida aqua imbuta, vt monet Oribaſius 7. Collecta. cap. 21. quia hoc pacto ſanguis craſſus attenuatur & orificium ampliatur. Sed præſtat prius ad quãtitatem, & qualitatem ſanguinis melius obſeruandam hirudinum caudas, vbi ſanguine expletæ fuerint forcipe excidere, nam ſanguine fluente, nunquam trahere ceſſant, donec nos ſale, aut nitro, aut cinere earum ora aſpergamus. Quod ſi maior ſanguinis effuſio cupiatur, non tantum vna, ſed duę, & tres hirudines apponi poterunt. Solent nonnunquam in alijs morbis Hemorrhoides hirudinibus aperiri, præſertim ſi antea fluxerint, & deinde ſuppreſſæ diutius permanſerint: at cum in hoc caſu adſit ſæpe plenitudo viribus permittentibus præſtat venas maiores ſecare, quæ confeſtim euacuant: Viribus autem infirmioribus, & Carbunculo in ea ſede locato, vt inferiores venæ ſint aperiendæ hemorroidarum cum hirudinibus apertio non eſt improbanda, modo ſint innatæ, vel prius fluxerint.

Rectus vſus.

De Malleolorum ſcarificatione.

Præter Hirudines licet etiam, dum ab inferioribus partibus ſanguis eſt euacuandus malleolos ſcarificare iuxta Gal. & Veterum conſuetudinem. Sed huiuſmodi operatio apud noſtrates iam diu eſt obſoleta: audiui tamen, dum Patauij eſſem ab Excellentiſſimis Viris Minadoo, & Alpino apud Turcas in frequenti vſu eſſe; nec ipſam reprobo, tum ob veterum teſtimonium, tum quia Oribaſius 7. Collecta. cap. 20. ſe illius auxilio a peſte euaſiſſe teſtatur.

De cucurbitulis.

Loco malleolorũ ſcarificationis non incõuenit cucurbitulas coxis, & cruribus prius apponere, ac deinde leuibus inciſuris humori viam aperire, vt his temporibus frequens eſt vſus. Quod ſi Carbunculus ſuperiores partes obſideat cucurbitulæ

Rectus vſus.

bitulæ brachijs applicentur rectitudinis regula ſemper ſeruata. Conſueuerunt aliqui etiam dorſo cucurbitulas affigere in ipſo morbi principio, ſed dum carbunculus peſtilens eſt, vel à putrida febre comitatur iſti nullo pacto ſunt imitandi, nam abſurdum eſt, affectam partem, quæ in febre eſt thorax, ante totius inanitionem euacuare. In huius præſidij adminiſtratione peculiaris artificum requiritur diligentia, vt non tã tum partem, quæ loco patienti directa eſt, ſcarificent; ſed ſcarificationibus factis pro indigentia ſanguinem profluere ſinant, immo eundem alliciant, cucurbitulis ſemel, & iterum repetitis, & parte, vt inquit Auic. balneata, ad hoc vt craſſior ſanguis profluat. Verùm de venæ ſectione eiuſq. annexis lon giorem fortaſſe habuimus orationem excuſatione tamen digni ſumus ob rei momentum, & ſcriptorum maximas inuolutiones.

Reſtant ex chirurgicis remedijs ea, quæ veſicantia dicuntur, vulgo veſicatoria: hæc, cum ſenſibiliter euacuent, & per modum attractionis, & per modum receptionis, in vtroque carbunculo locum habent. In maligno non ſemper, ſed quan do malignior eſt, & caput faciem, collum, guttur, thoracem, vel aliam nobiliorem partem affligit maximo fluxionis impetu: qua fluxione admodum irruente in carbunculis etiam artuum veſicantia conueniunt. In carbone vero peſtifero multo magis ſunt admittenda, tum quia reuellunt, tum quia prauas materias tertiæ corporis regionis euacuant, & conſequenter exiccant, quæ exiccatio in peſtiferis affectionibus præcipua debet eſſe Medici cura. Materia Veſicantium ſit hæc. Rec. Cantharidum præpar. drac. ij. s. ſem. cardamomi ſcrup. 1. fermenti vnc. s. Cum aceto ſcillitico fiat paſtà pro quatuor veſicantibus. Applicentur poſt vniuerſalem euacuationem in parte domeſtica vtriuſq. Coxę quatuor digitis ſupra Genu, & in parte interna vtriuſq. brachij prope metacar pium, ita vt pro pulſu tangendo remaneat locus. Idque agen dum niſi morbus occupet aliquem artum, tunc enim parti laboranti non expedit Veſicans apponere, ſed tantum cœteris non laborantibus. Modus Veſicantia adminiſtrandi eſt talis: deradantur loca, deinde aceto acerrimo calido confricentur,

De Veſicantib.

Materia veſicantium.

Rectus vſus.

tur,poſtremo Emplaſtrum deſcriptum apponatur modicè ca lidum,& detineatur octo,aut decem horarum ſpatio pro du' ritie,& mollitie corporis habitus: Vnde in feminis mollibus, & Pueris ſufficiunt aliquando ſex horæ. Ablatis Veſicantibus Veſica vniuerſa excidatur,& auferatur: deinde Braſſicæ folia Butyro, vel Axungia ſuilla illita ſuperimponantur. Et ſi diuturnior,& copioſior deſideretur expurgatio poſt duos dies Ceratum ſacrum,vel Diaquilon cum gummis erunt ad propoſitum. De frictionibus, & ligaturis nihil dico,quia potius ad corrigenda ſymptomata,vt Delirium,quam ad aliud agẽdum ſunt opportuna. Iſtis hoc pacto explicatis, Ordo tractationis expoſtulat, vt ad Pharmaceutica, & Chirurgica, quæ Carbunculos iam genitos reſpiciunt, ſtilum conuertamus.

De frictionibus, & ligaturis.

CAPVT TERTIVM.

De Pharmaceuticis tum internis, tum externis Maligno Carbunculo conuenientibus, ipſius tantum localibus exceptis.

SAEPE Accidit, vt Carboni maligno prauus corporis adiungatur apparatus,qui cum potiſſimum in vitiatis humoribus conſiſtat,tum in prima corporis regione,tum in alijs commorantibus medicamenta lenientia, Purgantia, & ex conſequẽti Præparantia expoſtulat, nec non Alterantia ipſa, vt præcipuorum viſcerũ intemperantijs correptis nouus vitiatæ materiæ ortus inhibeatur. Neque id ſatis eſt,ſed eadem viſcera,& præcipuè Cor roborare oportet,ne à deleteria Carbunculi qualitate labefactẽtur. De iſtis omnibus in hoc capite habebo ſermonem:& quia conſideratio ad purgans Medicamentum attinens permagni eſt momenti,circa illũ primò, mox,& circa reliqua omnia verſabor.

Quæ ſint Pharmaceutica interna Maligno Carboni conuenientia.

Purgans ergo medicamentum(vt breuibus agam) in Carbunculi legitimi principio,dicant alij quidquid velint, nunquam

De Purgantibus.

quam propinandum: nam cum in iſto affectu præcipuum ſit in ſanguine vitium, iam decreuimus, ſtatim vſque ad animi deliquium ſanguinem eſſe mittendũ, quo adminiſtrato prę ſidio, quis ſanę mentis dixerit, vires medicamenti purgatorij impetũ eodẽ ferè tpe poſſe perferre? Accedit; quod legitimũ Carbonẽ ſemp febris comitatur, & illa quidẽ multoties ſatis vehemens: ad quid igitur toto æſtuante corpore illius ardorem cacharrico augere? Sed quæret aliquis, ſi Vires nõ conſtent, & ꝑpterea ſanguinis euacuationẽ moliri haud deceat, quid impediat tunc medicamẽti electiuẽ ducẽtis vſum. Viriũ ipſarum inconſtãtia; nam ſi hæc Venę ſectionẽ prohibet, multo magis purgationẽ impediet, quæ ab Artifice moderari nequit. Sed præter hoc alia quoque adſunt impedimenta febris, materiæ cruditas, nam ſumus in morbi principio: & prauorũ ſuccorũ à circũferentia ad Centrũ retractio. Quæ omnia ſunt in cauſſa, vt rationali Medico neq; in legitimo neq; in illigitimo Carbone vllo pacto ab initio de purgãte pharmaco cogitare liceat. Morbo aũt progreſſo, & coctionis ſignis apparentibus, tũ in legitimis, tũ in illigitimis Carbunculis, modo humores expurgatione indigentes adſint, & natura nihil operetur, tractorij medicamẽti vſus humori expurgando accõmodati omnino admittendus. Vnde ſi peccẽt tantũ humores aduſti probatur ſequens potio. Rec. diachatol. vnc. 1. conf. Hamech. drac. iij. ſyr. violati ſol. vnc. iij. Dec. fl. & fruct. cord. ſem. Citri, & rad. tormentillæ q. ſ. M. f. p. b. Quę ablato ſyrupo violato redigi poterit ad formam boli. Si illis Bilis ſit adiuncta loco confec. Hamech. Electuarium Ros. Meſues, vel de ſucco Roſarum ſubſtituetur. Vel ſi mitius cholagogum deſideretur Rhabarbarum ipſum infuſum à drac. 1. ad drac. 1. s. Poterunt etiam ex drac. 1. Rhabarbari addita vnc. 1. Diachatol. vel floris Caſſiæ nouiter tractę boli efformari. Quod ſi Pituita aduſtis humoribus ſit permiſta Diacathol. Diaphinicum adiungemus ad drac. iij. & ita bolos concinnabimus, aut potionẽ additis vnc. iij. mell. roſ. ſol. In debilioribus verò relicto Medicamento ſcamoneato Agarici infuſo, alijsq; iam dictis potionem, vel bolos conficiemus. Non deſunt alij medicamentorum modi, & præſer

Purgantia in principio Carbunculi improbantur.

Probantur in declinatione.

Materia Purgantium.

De extractis.

tim extracta Paracelſiſtarum inuenta, ſed ego libenter hæc, Germanis ipſorũ inuentoribus, & nouarum rerũ admodum ſtudioſis relinquo, eo magis qđ cum plagã Mundi frigidã incolãt, facilius iſtorũ medicamẽtorũ caliditatẽ poterunt ꝑferre, q̃ Itali, & id circo Italici Medici ad iſta extracta laudãda, & deſcribẽda nõ deberẽt eẽ ita diligẽtes, & ita paulatim declinare ad nouã Paracelſi Medicinã, ſeu potius chimerã, Deꝰ ſcit an auræ popularis ſtudio, an ægrotantium vtilitatis.

De lenitiuis. Cęterũ quemadmodũ remedia totum corpus expurgãtia, inopportuna, & exitialia morbo inchoante cenſemus ita maxime hoc eodem tẽpe lenientia vocata pręſidia cõprobamus, dummodo in prima corporis regione, qđ vt plurimum euenit, humores adſint euacuatione indigentes, qui etſi ꝑ Clyſteres, & Vomitoria nonnunquam euacuari conſueuerunt, frequẽtius tñ leuioribus potionibus ꝑ os aſſumptis huiuſmodi negocium ꝑficitur. Quæ primas mundando vias Carbunculi augumentum remorantur: refrigerantibus, & putredini reſiſtentibus Medicamentis aditũ recludunt: demũ putredinem ipſam inhibent ſuperuacaneis humiditatibus ſublatis.

Materia lenientium. Nec tñ lenientia iſta indiſcriminatim ſunt eligenda, ſed ſi ſuperfluitas euacuanda aduſtorum humorum tantũ naturã ſapiat, Bolus conficietur ex vnc. 1. Elect. lenitiui, & vnc. s. Diacathol. quæ additis duabus, aut tribus vncijs Mellis viol. ſol. & cardiaco decocto ad potionis formã redigentur. Verum ſi prędictę ſuperfluitati Pituita copuletur nil melius Melle roſato ſol. ad vnc. v. cũ propoſito decocto, additis duabus drachmis foliorum ſenæ Orient. Vel fiat bolus cũ drac. x. elect. lenitiui: aut cũ vnc. 1. floris Caſſię, & drach. 1. s. pulueris ſenæ præp. Si denique Bilis, ſyrupus roſatus ſol. recens exhibeatur ſolus ad vnc. v. cũ cord. decocto: aut ad vnc. iij. cum vnc. 1. s. Diaprunis lenitiui; vel fiat bolus ex drac. x. floris Caſſiæ, drac. ij pulpę Tamarindorũ & ſcrup. 1. ſem. Citri.

Serum Caprinum tanquam leniens maximè commendatur. Aetius & Oribaſius in Anthracibus palpebrarũ & oculorum lacte cocto aluum ſubducunt. Nos in omnibus Anthracibus vice lactis Seri exhibitionem ſummopere commendamus, & præſertim ſi febris adſit, nam vnico intuitu blandè euacuat, febrilẽ calorẽ extinguit, & bilioſos humores attemperat, mõ

copiosè

copioſè aſſumatur à libris tribus ad quinque, permiſcẽdo in primo Cyatho vnc. iij. ſyrupi roſati, vel violati ſol. Valet hu iuſmodi medicamentũ etiã in febribus Ardẽtibus, vt videre eſt apud Gal. 4. de Victu acutorum tex. com. 7. Valet ẽt in malignis, & multo magis, q̃ ſales Chimica arte confecti, & ex tracta ex Mechiocam Scialapa, & alijs chatarticis addita etiã aqua vitæ; quę quidẽ lenientia nouiter tanto artificio, & labore ad iucunditatem reperta, potius admiratione, & deriſione, quã imitatione digna mihi videntur. Et exiſtimo ſuperiora à mè deſcripta a Principibus quoque cõmode aſſumi poſſe: etenim ſi Aureliũ Antoninũ totius Orbis Imperatorẽ vt ſe tutum à Veneno præſtaret ſingulis diebus tantum Theriacę, quantũ eſt Ægyptiæ fabæ magnitudo, deuoraſſe memorię proditũ eſt: ſi idẽ Hierã picrã medicamentũ profectò amariſſimum non recuſauit, cur nõ poterunt huius ſęculi Principes aſſumere Diachatol. Diaprunum, florẽ Caſſię, & alia conſimilia? Verum hæc parergon.

Extracta, & ſales lenientes damnantur.

Primis mundatis vijs nulla intermiſſa mora ad pręparãtia deueniendũ, & Alterantia, cum.n. morbus non det inducias, vno, & eodẽ medicamento vtriq; indicationi ſatisfacere curandũ. Humores pręparatione indigentes ſunt aduſti, atræ inquã bilis naturã redolent, quę tñ, vt plurimũ aliquã habent permixtionem Pituitę, Melancholiæ, vel flauę bilis. Quamobrẽ Borrago, lupulus, fumaria, Bugloſſa, Meliſſa ſunt opportuna: nec non Capill. Ven. Bettonica, & Agrimoniũ ſi adſit Pituita: nec prætermittenda vnquã Cichoracea, quia atrum humorẽ cõtemperant, Hepar calidius refrigerando ipſius regenerationem prohibenti, etſi adſit bilis eandem ad eductionẽ pręparãt; ſcabioſa quoque ſemper eſt conueniens, tanquã illa, quæ ab occulta ꝓprietate huic affectui medetur. Ex iſtis herbis confici poſſunt ſyrupi, Decocta, Iura, quæ vocant alterata; quibus poſtremis maxime delectantur cõmuniter practicantes nõ abſq; ratione, quia, vt legitur apud Hipp. in lib. de Alimento medicamentũ in nutrimento bonũ, nã præter alia tanquã magis familiare à Natura libentius amplectitur, & cum Sacharo, & melle careat, quamuis totũ corpus ęſtuet, non tranſmutatur in Bilem. formula iſtius medicamenti eſt

De Preparantibus, & Alterantibus.

hæc

Ius alteratũ. hæc. Rec. foliorum acetoſę, Endiuię, ſonchi, lactucæ, Borraginis, fumariæ, ſcabioſę an. pug. 1. Radicum pentaphylli vnc. 1. s. ſem. citri pręp. ſcrup. 1. bulliant in ſufficiente q. Iuris paruę pullę, aut hędi non pinguis, nec ſaliti, donec herbæ ſint decoctę, percolatum ius detur ad vnc. v. mane in aurora, veſperi tribus ante cęnã horis. Nec improbo dũ ſupradictę

Syrupi Officinarum. herbę deficiũt vulgariũ ſyruporũ vsũ, q̃madmodũ eſt ſyrup. de Scabioſa, de fumaria, de Borragine, de Pomis, de Limonibus de acred. Citri, de capillis Veneris, de Sõcho, & de Endiuia doſis ſit in totũ vnc. 1. aquarum vero Scabioſę, Acetoſę, fumarię, Endiuię, lactucę, vel alterius conſimilis vnc. v. vel vj. Verum enimuerò, vt propria experientia iãdudũ cõperi, nullũ põt iucundius, & generoſius excogitari præſidium, eo magis

Serum Caprinum tanquam Alterans. bilioſa p̃ſente febre, aut maligna cũ aeris calida conſtitutione. Sero Caprino ita p̃parato. lactis caprini lib. duodecim fictili nouo ferueãt, ramoq; ficulneo recenti moueantur, inſparſis poſt quã bis, aut ter efferbuerint vnc. iij. cum dimidia ſucci limonis, uel aurantij, uel omphacij cum albumine Oui. Sed cum feruet, ne ſuperfundatur conueniet ſpongia ex frigida continuo fictilis labrum detergere, tum poſt leuẽ ebullitionẽ vas argenteum, vel vitreum in fictile demittatur, huic enim pars caſeoſa citò adheret, & remanent ſeri librę circiter ſex, quod ſerum per colum transfuſum ſic deſtilletur.

Serum destillatum.

Rec. Foliorũ ſcabioſæ, capillorũ veneris
Borraginis, meliſſæ
Fumariæ, endiuiæ } *an. pug.* 1.
Lactucæ, ſonchi,
Acetoſæ, pimpinellæ,
Radi. Pentaphylli
Scorzoneræ } *an vnc. iij.*
Tormentillæ —— *vnc.* 1. *s.*
Succi acetoſæ, limonum
Citri, aurantiorum. } *an. vnc. iiij.*
Seri Caprini præparati. —— *lib. vi.*

Incidantur incidenda, & parum contundantur, deinde bullint cum ſero lento igne Vaſe optimè clauſo donec lib. vna ſeri fuerit cõſumpta; tandem oĩa deſtillentur organis vitreis

ad

ad Marię Balneum maxima diligentia, ne fumus, aut prauus aliquis Odor aquę cōmunicetur. Cuius Dosis eſt à libra vna ad lib. duas. Exibeantur mane in aurora, & ſi opus ſit etiam Veſperi quatuor, vel quinq; horis ante cibum. Sed quia tēporis anguſtię, inſtrumentorum defectus, & ægrotātis ęgeſtas iā deſcriptum Seri apparatum non ſemp admittunt, pſtabit herbas propoſitas in ſero caprino coagulo ſeparato decoquere, & decoctum illud ad vnc. vj. aut viij. exhibere cum aliquo ex ſupradictis ſuccis: nā ſerum hoc mō paratum cū craſſiorē obtineat cōſiſtentiā, nō ita de facili pertranſit vt deſtillatum. Sed dicet aliquis, cum intentio noſtra ſit efficaciter refrigerare, quid præſtantius aqua ipſa frigida vnica vice copiosè aſ- *De Aqua frigida.* ſumpta? Reſpondeo, qđ ſerum eſt potio magis naturæ familiaris, vnde Gal. 3. de Alimentorum facultatibus cap. de lacte inqt, lac non nocet, ſi eſt ſeroſum; ergo nō nocet pp ſerum: è cōtrario Aquæ frigidæ aſſumptio multas ſæpe parit noxas, nec tñ ſi febris ardens ſit, ſi vires conſtent, ſi alia requiſita nō deficiant ipſam reprobo. Id tm̄ dico Serum eſſe remedium oībus numeris abſolutum, tum in febribus ardētibus, tum in malignis: & idcirco non ſatis mirari poſſum illos, qui poſtremo de Sero ſcripſerunt, cum nullā de vſu ſeri in febribus fecerint mentionem.

Alterantibus per os aſſumptis alterantia extrinſecus ad- *Alterantia externa.* miniſtrata debēt ſuccedere, q̄ ad Iecur calidius atrabilaris ſāguinis officinā potiſſimum diriguntur. Cōficiantur ergo Epithemata refrigerātia ex Cichorei ſucco, & aceti roſ. modici. Vel ex aquis deſtillatis lactucæ, Cichorei, Portulacæ, ſonchi additis ſpeciebus trium ſantalorum, & aceto roſaceo. Poſt Epithema liniatur Iecoris regio vnguento ſantalino, vel roſato Meſues, cum modica ſpica, & aceto ad penetrationem.

Iam ad Roborantia Cor, & alias pręcipuas partes, Stoma- *Roborantia interna.* chum nempe, Iecur, & Caput deueniamus, quorum vſus poſt alui lenitionē maxime conducit, ſecus enim tetri halitus à Carbunculo oriundi iſtas partes maximopere lædunt, & multa, eaq; ſęua inducunt ſymptomata, quæ omnia prudens Medicus ſedulo præcauere debet. laudant Scriptores cōmuniter qnq; ante cibum horis Theriacā ipſam ex aqua ſcabioſę

à drach. ſ. ad drach. 1. habita ætatis, & febris ratione, quē communem aſſenſũ ego quoq; confirmo, monens, vt præſente febre permiſceatur cũ drachmis duabus alicuius conſeruę refrigerantis: aut diſſoluatur aliqua aqua eiuſdem facultatis. Nec erit abre illius vſum pluries repetere, qui dum corpus ob febrem admodum incaluit, tutior erit ſi ſtatim ab aſſumpta Theriaca bibat æger ſerum deſtillatum, vel aliud refrigerans Apozema. Proponitur a Neotericis ad eandem intentionem infraſcriptum Electuarium.

Rec. Conſeruæ roſarum, bugloſſæ
Florum citri, borraginis } *an. vnc.* 1.
Specierum trium ſantalorum
Diarrhodonis Abb. } *an. vnc. ſ.*
Theriacæ el. ——— *drac. ij.*
Corallorum alborum, rubeorum
Fragmentorum, margaritarum } *an. ſcrup. v.*
Fol. auri ——— *drac.* 1.

Cum decocto Bugloſſi, aut Penthaphylli, aut ſi non adſit febris, cum vino maluatico fiat Electuarium, quod à drac. ij. ad iiij. exhiberi poteſt. Idem pro pauperibus parari poterit abſque Auro & gemmis. Præſtantiſſimum eſt etiam in Anthrace peſtifero aliud Electuarium quod

Recipit conſeruæ roſarum ——— *vnc.* 1. ſ.
Corticum citri ſaccharo condit. ——— *vnc.* 1.
Margaritarum præp. ——— *drac.* 1.
Hyacinthorum, ſmaragdorum ——— *an. ſcrup.* ſ.
Serici crudi ——— *ſcrup.* 1.
Sem. citri mundatorum ——— *ſcrup. ij.* ſ.
acetoſæ ——— *drac. ſ.*
Boli armeni, terræ ſigillatæ ——— *an. drac. ij.*
Limaturæ auri ——— *drac.* 1.
Cornu Cerui, vnicornis
Raſuræ eboris } *an. ſcrup.* 1.
Sacchari albiſſimi ——— *vnc. xix.*
folia auri ——— *num. x.*

Fiat conditum ad formam ſacchari roſ. cum aqua roſ. moſchata. Doſis eſt ad vnc. mediam: & tutius eſt præſente fe-

bre,

bre,quam ſupra deſcriptum,eo magis ſi Ardens exiſtat.

De roborantibus extrinſece paucis agam, nam hæc Cordi ipſi præcipue debent accommodari in forma epythematis, Sauuli,aut linimenti; quorum omniũ deſcriptiones in curatione Carbunculi Peſtilentis apponentur. Nunc tantum pro fine iſtius capitis animaduerto,Carbunculum malignum degenerare aliquando in Peſtilentem,et idcirco tunc tanquam Peſtilentẽ eſſe curandum. Signa id manifeſtantia iam docuimus.

Roborantia extrinſeca.

CAPVT QVARTVM.

De Remedijs Vlceri maligni Carbunculi admouendis.

ANTHRACIS Malignitatẽ in ipſo potiſſimum cruſtoſo Vlcere,quod punctum nonnulli appellant, reſidere,iam pridem demonſtratiuis rationibus comprobauimus.Hinc eſt,quod Periti Artifices ipſius curationi plurimum ſtudẽt, in hãc enim perfectæ curationis vertitur Cardo. Agemus itaque in præſentia ſatis diligenter de Cruſtoſi Vlceris remedijs, quæ tractatio maximas continet difficultates, & inuolutiones, ob varia,immo repugnantia Medicinæ ſcriptorum placita. Nam alij ad ſuppurantia confugiunt, alij omnino iſta renuunt, alij valde ſiccantia medicamenta probant, alij nõ ſolum valde ſiccantia,ſed vrentia; ſunt tandem multi,qui nil magis commendant, quam candens ferrum. Et quod auget difficultatem, quiſque ſua experimenta affert in medium, quibus non aſſentiri videtur abſurdũ. Ego verò ſolam veritatem prę oculis habens, quam ex Corde diligo, enitar prædictas opiniones omnes ad bonam frugẽ redigere; hoc prius adnotato Scriptores omnes,Celſo excepto,q̧ de hoc nihil,conuenire,vt ſecta prius vena,niſi aliquid prohibeat,cruſtoſum Vlcus nulla intermiſſa mora ſcarificetur,& hoc perpetuo in quolibet Carbunculo,illo excepto, qui oculo inſidet. Dixi vena prius ſecta,nam contrarium agẽtes ſenſibiliter quidem ſectionibus euacuabimus, ſed plus ratione excitati doloris attrahemus. Circa huius pię

Vlceris curatio ni ſedulò incũbendum.

Varię opiniones circa Vlceris curationem.

De Scarificatione.

Rectus Scarificationis vſus. fidij rectam adminiſtrationem hæc animaduerto. Primò vt ſcarificationes facilius fiant, locus aqua calida perfundatur, deinde ſcarificetur. Secundo, vt ſanguis craſſus effluat ſecetur cruſta non Phlebotomo, ideſt lancetta, vt aliqui imperiti faciunt; ſed nouacula, quam Raſorium communiter vocant. Tertio ob eandem cauſſam inciſiones mediocribus altiores ſumpto, quod præter Galenum, Aetium, & Paulum Auicena quoque cõmendauit: quippe maiori exiſtente vulnere cõfertim copioſus ſanguis emanans virulentum liquorem maiori ex parte poteſt exhaurire, quod in minoribus non accidit. Verum tanto magis ſcarificationes profundæ fieri debent, quãto Carbunculus penitiores occupat partes: ſi enim in ſumma cute conſiſtant, mediocres ſufficient, nã illę, quæ ſuperficiales penitus ſunt, ob materię craſſitiem inutiles cenſentur. Nec timendum de Neruorum aut Arteriarum læſione, nam etſi Carbunculi in partibus Vaſa iſta obtinentibus reſideant, illa adeo adurunt, et putrefaciunt, vt tutò huiuſmodi operatio exequi poſſit. Attamen non eſt ſcalpellum nouacula inquam tãtopere adigenda, vt partes quoque nullius vitij participes offendantur, hoc enim et inutile, & doloroſum, et periculoſum eſt. Scarificatione abſoluta foueatur ſtatim ulcus ſpongia aqua communi mediocriter calida imbuta, vel aqua ſalita, ſi maior adſit putredo, vt ſanguis craſſus à calore attenuatus copioſius educatur. Accidit quandoque ſcarificatione ſemel ritè vſurpata Vlcus nihilominus circumiacentes partes depaſcere, quamuis idonea etiam medicamina ibidem fuerint appoſita: in quo caſu, quod itidem Chirurgi prætermittunt maximo ægri detrimẽto, oportet iterum & pluries pro indigentia locum ſcarificare.

De Circinatione. Cęterum ſi Veterum remedijs mihi quoque aliquid addere fas ſit, addam libenter antiquioris quidem Medici Dioſcoridis nempe remedium, ab ipſo tamen non in hac, ſed in communi curatione omnium ictuum Virulentorum lib. 6. cap. 4. ſummopere commendatum. Vocatur iſtud Vlceris Circinatio ideſt circumcirca incilio, & in Carbunculo eadẽ præſtare poteſt, quę in morſu virulento, duo ſcil. peculiaria iuuamenta, vnum qđ materia maligna putredine correpta è loco tollitur. Alterum, qđ ſanguine copioſe effluente vna cũ infecto, effluit quoque

quoque

quoque ille, qui iam infici cæperat. In Circinatione admini-ſtrāda ſectio Cruſtam & carnem corruptam tantum adimere debet, neque hanc totā, ne nimius concitetur dolor: reliquum vero medicamentis, aut Igne ipſo abſumitur. Conuenit præci puè in illis Carbunculis, q̃ altas egerunt radices, & in carnoſis partibus sūt affixi, ſic.n.de facili poſtea extirpanť, aboleturq;.

De Hirudinibus.

Contingit aliquando ſcarificationibus omni induſtria per-actis ſanguinem tamē parce fluere, vel large quidē abſq; ſuffi-cienti vtilitate, nā ob maximum fluxionis impetum Vlcus in-dies maius, & feruidius apparet, vnde cogit Medicos, vt aliud præſidij genus excogitent. Approbarunt aliqui in iſto caſu Hi rudinum vſum, alij reprobarunt, nam cum ſanguis prauus, & craſſus ſit Hirudines difficulter hærent, etſi hærent ob orificij anguſtiam craſſum ſanguinem non attrahunt. Ego autem di-co, Hirudines, ſi habeant ea requiſita, quæ habere debent, om nino conuenire: qđ enim non adhæreant ob ſanguinis praui-tatem ſunt nugæ, & experientia contrarium atteſtatur, immò ratio ipſa, neque enim tantam in imperfectis iſtis animalculis cognitionem adeſſe putandum, vt ſanguinem prauum à bo-no diſtinguant, vnde in malignis, & Peſtiferis febribus vſurpa tæ maximam vt plurimum ſanguinis copiam euacuarunt. Et ad orificij anguſtiam quod attinet, ex aqua calida fotus iſtud ampliare eſt potis. Illud tamen moneo non in ipſo cruſtoſo vl cere, neque enim adhærere poſſunt ob cruſtæ craſſitiem, ſed in confinio ipſius eſſe applicandas plures numero, duas inquam, tres, & aliquando quatuor. Memini me ſuperioribus annis curaſſe prçter omnium expectationē in Leandro Fabrio Gual denſe Anthracem in ſiniſtra faciei parte ſupra os iugale, propè angulum minorem Oculi, qui omnibus rite adminiſtratis, oc cupauerat tamen totam ferè genam cum maxima circunſita-rum partium inflammatione. Octaua die quatuor Hirudines applicandas curaui, vnam in parte ſuperiori, alteram in inferio ri, vnam in dextra, alteram in ſiniſtra. Maximo cum impetu ſanguis craſſus, & niger profluxit ad octo, & plures vnc. & in maiori copia profluxiſſet, ni habito virium reſpectu goſſipio vſto, & chalcantho ipſo ſanguinis motū cōpreſſiſſem. Statutū igiť iā ſit, Hirudines Carbūculis de facile adhærere, ſanguinē

Hiſtoria Leandri Gualdēſis.

L 2 craſ-

craſsũ copioſe euacuare,& maximũ Aegris adiumẽtũ afferre.

Suppurantia in iſto Vlcere à Galeno omnino excluduntur.

Hæc tamen quæ hactenus docuimus ad abſolutam Vlceris ſanationem minimè ſufficiunt,ſed alia requiruntur,quæ illius malignam qualitatem penitus deuincant:qua in re uideo quã plurimos à Gal. ſentẽtia receſſiſſe,hic enim 14. Meth.cap.10. ſuppurantia penitus excludit his verbis. Pharmaca, quæ cõcoquant, & pus moueant,ea nunc adhibenda non ſunt,qñ ita putredinem particulæ auxeris. Sed (vt paulo ſupra in eodem cap. legitur) ſupra ipſum Vlcus valens aliquod imponendum eſt medicamentum, cuius modi eſt Andronis, Paſionis, & Polyidę.Hoc idem confirmauit 5.de compoſitione medicamentorũ per genera cap.15. & multo elegãtius 2. ad Glauco. cap.2.vbi hæc habentur. Summatim vero hæc te cognoſcere oportet,quod omne Vlcus,ſiue ſponte,ſiue ex accidẽti,ſiue ex uulnere factum fuerit exiccari deſiderat medicamẽto, vt inqt Hipp.non aſpero,hoc eſt nõ mordente,neq; vehementer irritante,præterquam vbi malignum,& cum putrilagine fuerit:tã lia .n. acriora expectunt medicamina,& quę Ignis vires hẽnt, quale ẽ Miſy, & Chalcytis,& Arſenicũ,& Calx,& sãdarachæ: etenim nõ aliter q̃ Ignis adurunt medicamẽta huiuſcemodi. ſępius verò vbi iſta ceſſerint ipſum Ignẽ adhibemus. Eadem ratione,& his qui Carbones appellantur,ſuper ipſam cruſtam, vbi præcipue membrum putreſit,huiuſcemodi medicamentorum eſt natura conueniens,non tamen loca circumiacentia tãgere expedit,ne te ipſum lateas ea exulcerãs,quę minime expedit, ſed antedictis circulis paruis vtendum eſt; qualis eſt, qui Andronius nominatur.A Gal.nõ diſſentit Auicena 3.4. tract. primo cap. 10.In illo vero,quod de eo eſt vlceratum,eſt neceſſarium illud,quod fortiter exiccet, ſicut medicamẽ Andaron. Idẽ legitur apud Raſim in lib.diuiſionum cap.133.vbi de Igne Perſico. Et apud Aetium loco citato,apud Oribaſium,Gario pontũ,& alios antiquiores,quos breuitatis gratia ꝑtermitto.

Paulus,Dioſcorides, Plinius, & alij ſuppurãtia probarunt.

Ab iſta Gal. & Veterum Medicorum ſententia optimis rationibus confirmata,auſi sũt quam plurimi recedere ſuppurãtia in hac cura ad vſum reuocantes.Inter quos præcipuus mihi videtur Paulus lib.4. cap. 25. dum ait pleriſq; itidem Carbunculi in ſuppurationem conuerſi ſunt. Deinde in eodem loco

co ſubdit: nucis Auellanæ veteris vel etiam non veteris medul la Carbunculos maturat rumpitq;. Accepit hic fortaſſe à Dioſcoride lib. 2. cap. 144. & à Plinio lib. 20. cap. 13. quibus locis de Naſturtio loquentes ita ſcribunt. ſemen Naſturtij Carbunculos ad ſuppurationē perducit, & rumpit. Adhærent iſtorum opinioni inter Neotericos, Trincauelius, Guido, Tagautius, IoãnesAndreas à Cruce, & barbari Chirurgi ferè omnes: qui tandem pro ſuppurando Carbone pręſcribunt Oui vitellum cum ſale: aut Cataplaſma ex melle, triticea farina, ſale, & Ouorum Vitellis: aut ex ficubus, fermento, & ſale: aut ex alia conſimili materia.

Quæ omnia an benè, vel malè à prędictis Autoribus dicantur breuiter explicandũ, nam ex huiuſmodi explicatione, quæ ſit vera, & germana Vlceris iſtius curatio innoteſcet. Agitur itaq; de re magni momenti, maximæ etiam difficultatis, quam nullus hactenus ex profeſſo pertractauit: Cuius reſolutio tota (me iudice) poſita eſt in conſideratione materiæ in Vlcere exiſtentis, nec non temperaturę ipſorum pus mouentium medicamentorum: vtrunq, conſiderabimus. Materia, quæ in Vlcere permanet, eſt ſanguis atrabilaris feruidus, cutis, alięq, ſubiectę partes corruptę, & vna cum ſanguine maligna putredine infectæ: Scio equidem Pus nõ fieri ex materia prorſus benigna; ſed neq; fit ex omnino aliena. Scio etiã ſuppurationum cauſſam eſſe calorem natiuum, non prorſus vincentem; aſt calor natiuus à præternaturali, & extraneo ſuperat⁹ pus efficere neq t. Quo pacto itaq; materia Vlceris Carbunculi in Pus transmutabitur, ſi maligna eſt, ſi à præter naturali calido dominatur? omnino iſtud tentare nil aliud eſt, quam Arenæ, aut Aquę mandare ſemina, & quod deterius eſt ſponte currenti addere calcaria. Cum.n. temperies ſuppurantium calida ſit, & humida, putredinē ſuapte natura magnopere progredientem mirũ in modum augebunt, vt Hiſtoria ſuperius enarratę Carbunculorũ pro furunculis à Chirurgis curatorum manifeſte teſtantur. Cognouit id optimè Diuinus Hipp. & ob id 5. Apho. in principio 22. Apho. hæc protulit. Calidum ſuppuratorium nõ in oĩ vlcere: q́ verba exponẽs ſolertiſſimus Gal. inquit ſi quidem Vlcera putrida, & ſimpliciter omnia, quæ fluxiones habent,

An Suppurantia conueniãt.

Suppurantia probantur.

adeo

Cataplaſmata ſuperius propoſita nō sūt ſuppurantia.

adeo non ſuppurat calidum, vt his etiam plurimū noceat. Verum aut ego prorſus cæcutio, aut cæcutiunt cœteri: dico ego Cataplaſmata ſuperius propoſita inter pus mouētia nullo modo debere reponi, & ratio eſt talis. Medicamenta quæ ſuppurant cognatā, & ſimillimam corporibus noſtris caliditatē poſſident, humorē, qui præfuit in partibus induratis ſeruant, & ſunt Emplaſticæ 5. ſimplicium cap. 8. At quæ ſupradicti Autores proponunt Cataplaſmata noſtris corporibus calidiora ſunt, maximè exiccant, denique detergūt: ergo non ſunt ſuppurātia Minor probatur, quia in omnibus ferè Sal admiſcetur, & ī maxima quantitate, vnde Nicolaus Florentinus in empla ſtro ex Vitello Oui tm̄ ſalē addit quantū Vitellus recipere poteſt: Sal eſt in primo ſecundi calidū, ſiccum verò in tertio; ꝑꝑ ſuam maximā ſiccitatem ab emollientibus excluditur 5. ſimplicium cap. 9. poſtremò abſtergit, vt patet 9. ſimplicium lib. Mel præterea quod in 2. cataplaſmate apponitur calidum, & ſiccum eſt in 2. gradu, & ex conſequenti pus non mouet. Sed quid de Naſturtij ſemine, nonne Cauſticam habet facultatē? nonne calefacit, & exiccat ordine quarto, vt ſinapis? qua ergo ratione ſuppurans appellatur? nulla prorſus. De Nuce Auellana Pauli, dico quod exiccat, eo magis ſi antiqua ſit, & idcirco inter vera ſuppurantia non habet locū. Quid, igitur tot clariſſimi ſcriptores errarunt omnes? errarunt profectò, fuere ēt mendaces, cum dixerint ſe ſanaſſe pluries Carbunculos iā deſcriptis medicamentis? Id non affirmo: ſed tm̄ animaduerto ſuperiora cataplaſmata, nec nō Auellanas ipſas, & Naſturtij ſemen Carbunculorum Vlcera parum maligna curaſſe quatenus exiccantia, & aliquo modo reſoluentia, non quatenus ſuppurātias quod enim omnia exiccent iam cōſtat, immo excepta Nuce pontica, cætera ſummopere exiccant, vt Naſturtij ſemen & ſal. Vnde ſal præ cæteris Carnes à putredine defendit exicando in profundum, & abſumendo quicquid in ipſis humidum ineſt: idcirco in ijs, in quibus ſuſpecta eſt putredo ſalis vſus ꝓbatur, & ex cōſequenti in Carbūculo, in quo vt efficacius agat, permiſcent eum Oui Vitello, quod deinde aliqui feruens ſupra Carbunculū imponūt, & mutant ſingula hora, vel ſaltem quater in die. Non ſic efficerent ſi medicamentum iſtud tan-

Propoſita Cataplaſmata curant Carbunculos tanquam exiccantia.

quam

quã ſupparans adhiberent. Verum aliquis forſan noſtræ huic determinationi acquieſcere recuſabit ob hæc Gal verba capitis noni lib. quinti ſimplicium. Et ſanè quod ex pane conficitur cataplaſma, difficulter coctioni cedentibus Phlegmonis idoneum eſt, ſiquidem pani, tum ſal tum fermentum admiſtũ eſt. Ecce igitur quod ſal à ſuppurantibus non excluditur. Explicatio iſtius loci eſt hæc, Phlegmones difficulter coctioni cedentes ſunt illi, quibus maxima frigidæ materiæ copia coniungitur, & in partibus quoq. frigidioribus exoriuntur. Indigent propterea Medicamentis temperatis calidioribus, quæ cũ ſicciora quandoque ſint, admiſcentur cum ſuppurantibus temperatis, & ita illorũ ſiccitas obtunditur: tale eſt Hydrelcũ, quod ibidem cùm pane miſcet Gal. quamobrem ſi rectè huiuſmodi emplaſtrum examinetur, non dicetur ſiccũ, ſed potius moderatè humidum eò magis, quia in pane conficiendo modicum ſalis accipitur. Obiectio itaque propoſita noſtræ poſitionis veritatẽ nullo modo infringit; quam optimè aſſequutus eſt doctiſs. Gal. & idcirco agens de Cupreſſo lib. 7. ſimpl. hæc habet, quidem ea vtuntur ad Carbunculos Polentæ miſcentes, tanq. abſumat citra excalfactionem eos morbos facientem humiditatem. Non ſic Paulus Gal. alioquin imitator perpetuus. Cupreſſi folia, tum germina, nouelli, & molles Galbuli cum Polẽta Carbunculos maturant. Idem affermarunt aliqui de Nuce antiqua vnctuoſa. Melius iſtis Gal. lib. citato. Oleum ex Nucibus inueteratis admodum perhabitum eſt euaporatorium: Itaque quidam eò Gangrenas, & Carbunculos ſanant. Deinde ſubdit paulo infra, nucleũ Nucis vbi inaruit tenuium eſſe partium, & exiccatorium. Recedat ergo tandem à Medicorũ more in Carbunculis curandis ſuppurantium nomen, & exiccantibus, alijsq; vtantur, quæ materiam iam corruptam penitus poſſint abſumere. Quod rationi eſſe conſentaneum non ſolum Medici, ſed etiam philoſophi agnouerunt, vt legere eſt apud Ariſt. primo Problẽ. 50. vbi impuris, tetriſq; Vlceribus acria, ſicca, acerbaq; medicamenta conuenire decreuit, quia in ipſis aliquid eſt detrahendum.

Obiectio. *Solutio.*

Rediguntur hæc ad quatuor Claſſes, in quarum prima oĩa ſuperius enarrata excepto Naſturtij ſemine merito reponuntur, *Prima Claſſis Medicamentorum.*

tur,

tur, nec non alia, quę in tertio ſiccitatis gradu ſunt conſtituta, aut ipſum ferè attingunt. Talia ſunt ex Dioſcoridis decreto Nuclei Iuglandis veteres. Coriandrum cum Melle & Vua paſſa. Pix cum Vua paſſa & melle. farina erui. farina lupinorum folia Oleæ ſilueſtris cum melle. Panax, Heracleus ſimiliter cũ Melle. folia Braſſicę ex ſale. Vua paſſa ſine Nucleis cum Ruta. fimum columbinum tritum cum melle, lini ſemine, & oleo; Efficacius erit ꝑ ſe illitum, vel cũ lini ſemine, & Aceto mulſo: qua ratione vſurpatur à Plinio, & à Quinto Sereno; ab Aetio vero cum æquali portione Mellis. Raſis in lib. de ſexaginta animalibus comendat ſtercus Gallinæ cum melle, quod laudatur etiam ab Aetio, ſed Columbino inbecillius eſt. ſtercora ꝓpoſita erunt efficaciora, ſi ſint Columborum in Montibus degentium, & Gallinarum, quæ in Agris, atrijs, aut foris paſcuntur: nam ſtercus Columborum domeſticorum, & Gallinarum quæ concluſę ſeruantur, minores obtinet vires. Aliqui probãt quoque ſtercus Paſſeris. Sed inter medicamenta paratu facilia primum ſibi vẽdicat locum ipſa Cinis, hæc enim vbique locorum reperitur ex Ilice, fago, Vlmo, aut alia conſimili arbore cõbuſta progenita: validior eſt Quercus, & ſarmẽtorũ vitis: validiſſima ficulnei arboris. Illinitur hęc ab aliqb' ex oleo melius ex Aceto mulſo: quater in die apponitur actu feruens, ſic enim facilius bonum à malo ſeiungit. Plinius lib. 36. cap. vltimo tale celebrat medicamentum. Querneus Carbo tritus cũ melle Carbunculos ſanat, adeò in rebus dãnatis, & iam nullis ſunt aliqua remedia. Vnde non iniuria aliquis dixerit, Carbo Carbone curatur. Idem Plinius alibi Mullorum ſalſamenti Cinerem probat, & Mulli caput cum Melle. Rutam ex Aceto: ſabinã ex Melle, quam etiam commendauit Apuleius Platonicus: & Suis feminæ Cerebrum toſtum illitumq;. Quæ omnia medicamenta vt conſideranti patet validam exiccatoriam uim habẽt, excepto iſto poſtremo Plinij, quod ſi cõfert, confert potius occulta, quam manifeſta qualitate. Nec tamen in omnibus Carbunculis deſcripta in hac prima claſſe remedia conueniunt, ſed tantum in illis, qui ſummam cutem occupant, & ſunt parui momenti, tum ratione ſui ipſorum, & ſymptomatum conſequentium; tũ ratione loci ignobilis, cuiuſmodi ſunt artus. Valent

Quibus Carbũculis iſta medicamenta conueniant.

lent

lent hæc eadem in illis furunculis, qui Carbunculorum effigiẽ æmulantur, donec morbi progreſſus eorum naturam penitus aperiat. Nam vt ſuperius dixi, & eſt maximè notandum, præſtat furunculis pro Carbunculis, quam Carbunculis pro furunculis mederi. *Nota.*

Verumenim verò ſi Anthrax deteriorẽ ſortiatur naturã, vel ob partis nobilitatem, vel ob prauam ipſius conditionem, quam ſigna ſuo loco tradita optime manifeſtabunt, ſuperioribus poſthabitis ſecundæ claſſis remedijs debet ſtatim omni induſtria expugnari. Vocantur huiuſmodi remedia à Gal. Catheretica, quæ quarto ordine calida, & tenui ſubſtãtia cũ ſint, putridam carnem abſumunt, non quidem repente, ſed ſenſim citra vllam vicinæ carnis corruptionem, aut putredinem. Huc pertinent inter ſimplicia Naſtuitij ſemen, & lac tithymali caracias ex Dioſcoride. Inter compoſita vero primas obtinent apud Gal. Trhochiſci Andronis, Paſionis, vel Polyidæ, quorũ pluribus in locis meminit, & quamuis parum inter ſe differãt, ſemper Andronios Trhochiſcos anteponit: id circo illorum deſcriptionem hic apponemus, quæ habetur. 5. de medicamẽtis localibus cap. 11. & eſt hæc. Rec. Balauſtiorum vel cytinorum drac. x. Aluminis ſciſſilis drac. iiij. chalcanthi drac. xij. Myrrhę drac. iiij. Thuris, Ariſtolochiæ, Gallarum an drac. viij. ſalis armoniaci drac. iiij. Cum Paſſo conficiuntur circuli, qui ſupra Vlcus tantum apponuntur. Si quando autem rubor inualuerit, & plurima inflammatio medicamentum dulci vino, vel ſapa, vel Arnogloſſi ſucco liquandum ad ſordium ſpiſſitudinem. Si vero magnus ſit tumor, Vino quidem acerbo in principio, poſtmodum vero & aceto. Præter Andronios poſt illos alia apud Veteres habentur Cathеretica, & illa quidem fortiora, quibus in contumaciori morbo vtendum: in horum cenſu dubio procul ſequens Aetij eſt referendũ. Rec. Aluminis ſciſſi drac. viij. Chalcitidis drac. vi. Sandarachæ drac. iij. malicorij, Miſyos, Attamẽti ſutorij, Nitri, Omphacij ſicci ſingulorũ drac. ij. Præpara, & vtere arido, vel cum melle. familiare noſtris Chirurgis eſt Vnguentum Egyptiacum Meſue, cuius hęc eſt deſcriptio Rec. floris Æris drac. v. mellis drac. xiv. Aceti accrrimi drac. vij. coque igni ad iuſtam craſſitiem. Efficacius

Secũda Claſſis Medicamentorum.

Trhochiſcorum Andronis Deſcriptio.

Egyptiacũ Meſue.

Egyptiacũ Ioãnnis de Vico.

iſto mihi videtur Egyptiacum Ioannis de Vico: quod Recipit floris Æris, Aluminis rocæ, mellis an. vnc. ij. aceti albi, decocti lupinorum an. vnc. ij. s. M. ad Ignē fiat Vnguentum. Trhochiſci & de Minio eiuſdem Autoris huc referri poſſunt, qui vires obtinent omnibus iam dictis ſuperiores. Vincitur tamē ab Oleo Sulphuris Chimica arte extracto, hoc enim, dummodo purum ſit, nil præſtantius, ſi de Cathereticis ſermo ſit, excogitari poteſt, proxime tamen cauſticis accedit, de quibus iam agendum.

Tertia Claſſis Medicamentorum.

Nam aliquando accidit Vlcus Carbunculi adeò eſſe malignum, vt Catheretica etiam floċci faciat, & indies magis magisq; circumiacentes partes depaſcatur, in quo caſu validiſſimis pugnandum medicamentis de genere cauſticorum, quæ in hac Tertia Claſſe à nobis deſcribetur. Sunt iſta, vel ſimplicia, vt flammula Iouis, Ranunculus, Calcāthum vſtum, Calx viua, Arſenicum. Vel compoſita ex quibus tria tantum afferemus tanquam illa, quæ vſu, & experientia à nobis fuere comprobata. Primum eſt Capitellum ipſum, cuius variæ apud varios ſunt compoſitiones: mihi placet iſta Fernelij, quę habetur lib. 6. Meth. cap. 19. Rec. Vitrioli Romani vſti vnc. ij. ſalis armeniaci vnc. 1. Calcis uiuæ, Cineris è fęce Vini an. vnc. ij. Tritis atque permixtis affunde lixiuium ficulneum, vel thythimalicum in olla, quæ in fundo hiet anguſta rima, cui alia olla ſubijciatur, in qua lixiuium paulatim diffluat. Vas vtrumq; optimè claudatur, & per dies quinque, aut plures in fimo equino detineatur, donec tota materia ferè diſſoluta ſit, & lixiuiū pertrāſierit: quod poſtea in Olla noua aperta coquitur, ac ferueſcit, dum craſſeſcat, atque lapideſcat. In ampullam vitream, & obturatam reconditur loco ſicco, ne humidioris aeris attractu liqueſcat. Modus vtēdi eſt, vt ſcrupulus vnus, vel plus pro magnitudine Vlceris applicetur, ſinaturq; per ſexquihoram, hoc enim temporis ſpacio opus abſoluit. Secundū eſt Vnguē-

Capitellum.

Aliud Egyptiacum Ioãnis de Vico.

tum Egyptiacū aliud Ioannis dę Vico qđ habet floris æris, aluminis rocę, mellis an. vnc. 1. Arſenici albi optimè triturati drac. 1. Bulliant omnia ad Ignē, & ſecundum Artē fiat Vng. quod diutius in parte non detineatur, nam ob Arſenicum maximè exurit. Poſtremum eſt Oleū ipſum de Calchantho Chymiſtarum,

miſtarum, quod cum ob partium tenuitatem citò penetret, ob cauſticam facultatem materiam omnem noxiam abſumat, ob vim adſtringentem vlteriorem depaſtionem inhibeat eſt medicamentum numeris omnibus abſolutum, quemadmodum in praxi nullo docente ipſemet pluries obſeruaui: obſeruabunt & alij ad quorum manus hæ lucubrationes peruenient, ſi noſtris dictis fidem adhibentes ipſum ad vſum reuocent, dummodo ſine fraude ſit præparatum. Modus vtendi eſt, vt goſſipio oleo iſto imbuto Vlcus tangatur bis in die, ter etiam ſi fuerit opus. *Oleum de Calcantho.*

Cæterum ſi ex medicamentis iam propoſitis magnam quis exoptet vtilitatem, præcepta hæc ſibi obſeruanda conſtituat. *Rectus propoſitorum medicamentorū vſus.* Primum præceptum. Ante horum remediorum appoſitionem prius Vlcus ſcarificetur, immo cruſtę & carnis corruptæ maior pars Circinatione iam ſuperius inducta auferatur: ita enim humiditas ſuperflua melius, & citiꝰ exiccatur, & ſi medicamētum Pyroticum ſit, ex toto conſumitur, materiaq́; praua intus latens ad ſuperficiem extrahitur. *Primum præceptum.* Secundum præceptum. *Secundum.* Et quia partes Vlceri circumpoſitæ maxima inflammatione laborant, cauendum, ne Catheretica, & Cauſtica iam dicta illas attingant, ſecus enim inflammatione, & dolore exacerbato fluxionis impetus ad laborantem partem augeretur. Abſurdum iſtud euitabimus Circinatione ipſa, & deinde Emplaſtri appoſitione ſupra inflammatum locum, quod Emplaſtrum ſupra linteum non aſperum, ſed lene extendi debet, in cuius medio ſit orificium pro Vlceris magnitudine, in quo Vlcere vrens medicamentum imponatur plagula ex filamentis excep tum ſi humidum ſit. ſi vero ſiccū filamentis itidem cooperiatur, & faſcia omnia circumligentur; denique ſi cauſticum ſit, & partes Vlceri contiguæ præſtantes, circumſcribatur Vlcus Vmbilico è Cera facto intus cōcauo, ita enim partes circumſitæ non lædentur: id tamen artificium in Olei de Vitriolo adminiſtratione non requiritur, & propterea hāc ēt ob cauſſam illud maximopere laudamus. Tertium Præceptum. Quamuis Eſchara à propoſitis medicamentis fuerit excitata ab illis nō deſiſtendum, donec Vlcus vlterius nō ſerpat: quod tū ex alijs, tū ex Veſſicis circa Vlcus amplius non apparentibus dignoſci- *Tertium.*

Quartum. tur. Quartum Præceptum. Quodcunque remedium appoſitũ eſt; ſi ſatis proficiet, protinus à viua corruptam carnẽ reſoluit. ſi id non fit, medicamentumq́; malo vincitur, vtique aduſtionẽ properandum eſt. *Quintum.* Quintum Præceptum. In principio morborum Gal. autore lib. 2. de medicamentis localibus cap. 2. non ſtatim efficaciſſima adhibere conuenit, ſed à debilioribus auſpicandum. Id tamen in Carbunculis non eſt obſeruandum, ſi enim vitę magnum periculũ impendet, vt idem ait 5. Meth. 15. alieniſſimũ à ratione eſt à debilioribus inchoaſſe. Vnde ſi Carbunculus in primo ſui exortu ingentem malignitatem prę ſe ferat, ſtatim à principio ſanguine miſſo, & ſectionibꝰ adminiſtratis validiora præſidia adhibeantur.

Quartæ Claſſis Medicamenta. Nullum preſtãtius remedium ferro candente.

Deueniatur inquam nulla intermiſſa mora ad Quartæ Claſſis Medicamentorum vſum ad ferrum ſcilicet candens quo præſidio nullum præſtantius excogitari poteſt, quoniã id prohibet, ne corruptio progrediatur, membrũ conſortat, & materias iam corruptas diſſipat, atque reſoluit. Perſpexit hoc Cornelius Celſus Medicus inter latinos antiquiores pclariſſimus, & id circo lib. 3. cap. 28. hæc literis conſignauit. Nihil melius eſt, quam protinus adurere. Neque id graue eſt. Nam nõ ſentit, quia ea caro mortua eſt, finisq́; adurendi eſt, dum ex omni parte ſenſus doloris eſt. Hoc Celſi conſilium optimum eſt, & nunquam pro meritis laudatum, ita vt non ſatis admirari poſſim Auicennã, Aetium, & Paulum, cum de ferramento ignito nullum protulerint verbũ. Profectò ſi ille curandi modus magis laudibus eſt efferendus, qui citò tutò, & iucundè curationem abſoluit, ſumma in hac cura Ignis actualis meretur encomia: nam ſtatim prauam deſtruit materiam, & putredinem arcet: nulla ſequitur Virium iactura: nulla membrorum læſio: denique, cum caro mortua ſit paruum, & breuem infert dolorem. Quamobrem iucundum hoc præſidij genus in comparatione cauſticorum appellare licet, quia hęc maiorem, & diuturniorem efficiunt dolorem, Cicatricem præterea turpiorem relinquunt, & quod deterius eſt ſæpe numero morbum non ſuperãt. Quod ſerò animaduertentes miſeri Chirurgi ad ignitum ferramentum tanquã ad ſacram anchoram recurrunt, ſed multoties fruſtra, nam Carbũculus altioribus iactis radicibus

Dictum eſt Aſclepiadis Medici antiquiſſimi, vt notat Celſus l. 3. c. 4.

Chirurgorũ error.

naturaq́;

naturaq; cuncta, nullo ſuperatur remedio. Quapropter nil aliud iſti aſſequuntur, quam illa infamare remedia, quę alijs fuere ſaluti, cum maximo ipſorum artiſq; dedecore, & quod magis eſt cum Aegrotantium pernicie. Sapientiores equidem prudentioreſq; illi ſunt iudicādi, qui in quolibet Carbunculo aliquibus tantū ex illis exceptis, de quibus capite nono agemus, ignito ferro protinus vtuntur, eis ad unguē obſeruatis, q̄ nūc afferentur. Inde initio ſumpto, quod nullo pacto illi ſunt imitandi, qui ceræ guttulis ab accenſa candela defluentibus, vel panis bucella in feruenti oleo intincta vlcus inurunt: quoniā iſti radices morbi non attingunt, & ob id ipſum potius irritāt, quā debellent: præterea Cera illa ibi condenſata malorum humorum exhalationem prohibet. Satius itaq; eſt iſtis inurendi modis ſuis Autoribus derelictis, ferramentis candentibus, & pellucidis locum inurere. Expetunt nonnulli pro hac operatione ferrum rotundum intus concauum, quod totam vlceris magnitudinem complectatur, ita enim aiunt citius eſcharam auferri. Verum difficile, & operoſum eſt tot habere inſtrumenta, quę cuilibet Carbunculo aptentur: etſi habeantur cum totā corruptam materiam non adurāt, dubitari poteſt, an iſtud nouum inuentum ſit recipiendum. Ego quidem non recedens ab Antiquis magis approbo Inſtrumenta ſphericę, vel ſcutalis Figurę, in quorum medio, vt ad profundiores partes vis ignis perueniat, ſit acumen ad formam adamantis non nimis acuti. Ex Inſtrumentis iſtis, vel ferro, vel calybe, vel argento, vel auro confectis, quia hoc ad ſanationē parū intereſt, aliqua maiora, aliqua minora ſint, ſæpiſſime enim ob vlceris latitudinē, & profunditatem plura requiruntur, duo nempe aut tria, rarò vnum, hoc ſeruato ordine, vt à paruis ad maiora progrediatur. Inurantur vlceri qualibet hora optimè candentia, ibiq; detineantur donec vndique dolor percipiatur, vt ſupra ex Celſo adnotauimus, ſic enim ad morbi radices uim Ignis penetraſſe comperimus: hoc animaduertiſſe volui, quia aliqui miſericordia forſan moti reperiuntur, qui vlceratum locum vix igne attingunt, quorū conſuetudo maxime eſt reprehendenda, cū ita potius morbum exaſperent, quā diminuant. Cauendū tamen, ne ex vſtione vehementiori Conuulſio ſequatur, nā ex Caute-

Quidam adurendi modus reprobatus.

Qualia debeāt eſſe inſtrumēta.

Rectius cauterij actualis vſus.

rijs,

rijs,& Eſcharis,vt legimus 7. Aphoriſ.tex. comm. 15. fiunt aliquando conuulſiones ex ſiccitate,quę lethales ſunt,vt quiſque nouit.Idcirco in Carbonibus neruoſas partes obſidentibus maximè diligentem eſſe oportet. Euenit quandoque (& hoc in Praxi pluries animaduerti) vt Carbunculus poſt inuſtionem ipſam,vel quia ſuperficialis fuit,vel quia noua praua materia affluxit, adhuc depaſcendo progrediatur. In quo caſu ſi depaſtio parua exiſtat, ſatis eſt denuo ſcarificare, & partem oleo de Chalchanto perungere: ſi maior iterum,& tertio,ſi opus ſit,Cauterium actuale eſt repetendum. Et quia uim Ignis ad partes inflammatione obſeſſas penetrare non expedit,dum operatio perficitur linteo poſca madido contegantur, quod operatione peracta ſtatim auferatur, vt Cataplaſmatis poſtea deſcribendis pateat locus.

Inuſtio aliquã do repetenda.

CAPVT QVINTVM.

Quid agendum poſt Ignis, & ſupradictorum remediorum adminiſtrationem vſque ad perfectam Vlceris conſolidationem.

POST Vrentiũ medicamentorũ, & ipſius Ignis vſum remanet in parte caro aduſta,Eſcharã cõmuniter vocant, quam citiſſimè remouere omni induſtria tentãdum,vt ſi quæ materia vitiata intus lateat,citò euacuetur. Conſueuerunt noſtrates Chirurgi id præſtare moderatè calidis,& humidis ſuppurantibus inquam,vnde,& axungia ſuilla,& butyro vtuntur,aliquando etiam Emplaſtra ex iſtis conficiunt,quibus addunt radices Altheę,Maluarum folia, fermentum, & alia huius ordinis. Aliqui vero ab iſtorum Empiria omnino recedentes calidis,& valde ſiccis, necnon detergẽtibus opus abſoluunt,quorum conſilium approbandum,illorum autem nequaquam. Ratio eſt in promptu. Sumus quippe in Vlcere, quod proximas partes putrefaciẽdo depaſcitur,donec tetri halitus à progreſſa iam putredine eleuati Cor petant,& ſic Aegrũ interficiant.

Ad Eſcharam auferendã calida, et valde ſicca probantur, ſuppurantia vero minime.

Nihil

Nihil itaque magis in præſenti cura rationem vrgentis ſubit ip
ſa putredine. Et ob id, qui ſuppurantibus illam fouent, peni-
tus ſunt deteſtandi. Dicent forſan iſti pro ſui defenſione, iam
ab igne, & igneis præſidijs putredinem omnem fuiſſe abſum-
ptā, & nil aliud requiri, quam calefacientia, & humectantia, vt
fibris omnibus exuſtam partem cum ſana coniungētibus cor-
ruptis, ægra pars à ſana ſeiungatur. Verum ex falſo anteceden
te abſurdum conſequens originem ducere quid mirum? Quo-
tus quiſque eſt in Praxi vel mediocriter exercitatus, qui non
perſpexerit poſt cauſticorum, immo poſt Ignis vſum putredi-
nem ita progredientem, vt iterum, & pluries cauſticis, & Igne
ipſius expugnationem tentare fuerit neceſſe. Ex hoc Corda
tus Medicus, & veritatis amator colligat, quā ſemper in hoc
affectu perniciosum ſit pus mouentibus vti. Vnde, cum ſapien
tis ſit mutare conſilium in melius, impoſterum abſtergētibus,
& exiccantibus eſcharam auferre conſtituat, ita enim putredi-
nem inhibebit, & id quod cupit citius, & maxima cum ſecuri-
tate aſſequetur. Diſcat vnuſquiſq; à Gal. qui 6. de Medicamē
tis localibus cap. 2. docens modum remouendi cruſtas in Vl-
ceribus Oris ab eſcharoticis productas ob loci naturam putre
dinem formidans pharmaca laudat vehementiſſima extergen
te vi prædita, calida nempe, & apprime ſicca, quæ vt efficacius
operentur melle diſſoluit. Si igitur Gal. Vlcerum oris putredi
nem adeò formidauit, nonne putredo vlceris iſtius extimeſcē
da, quæ maxima excellit malignitate? ita quidem. Nec deſūt
ad id quod cupimus obtinendum opportuna medicamenta, *Medicamenta ad Eſcharam auferendā opportuna.*
quæ proponuntur à Gal. Albucaſi, Paulo, & Aetio: à quo po
ſtremo vt incipiam, hic loco toties citato ita ſcripſit. Liliorum
radicem recentem, & humidam ad emplaſtri formam tritam
imponito, & admiraberis, circūſcarificat enim, & cruſtas exi-
mit, repurgat, replet, ad cicatricem perducit, vt ne veſtigium
quidem eius appareat. Nihilomminus recentiores antiquorū
verba negligentes negligunt etiam iſtud Aetij remediū: ego
vero ab Excellentiſſimo Viro Hieronymo Fabricio ab Aqua
pendēte Paſſuinoſi Medicorum Coryphęo pręceptore meo
edoctus pluries maxima cum fælicitate, & admirabili euentu
ipſum ad vſum reuocaui. Nec mirū, nā Gal. teſte 7. ſimpliciū.

Radix

Radix lilij per ſe trita deſiccat, abſtergit, & moderatè digerit: proinde eã ambuſtis quoad obducatur cicatrix imponunt q̃ppe cũ alioqui, & aliorum vlcerum omnium bonum ſit inducendæ cicatrici remedium. Citius tamen Eſcharã auferet, ſi melli admiſceatur, etenim cum ex ſe primum abſtergentium ordinē non prætereat, vt ibidem legitur, melli admixta validius operatur. Sed vlcere optimè deterſo Radix ſola recens, & ſtatim cõtuſa, quod plurimũ intereſt, abſq; melle applicetur, ſola enim cauitatem replere, & cicatricem obducere ferè abſque veſtigio potis eſt, vt in pluribus, & præſertim in Adoleſcentula ſeptempedana obſeruaui, quæ Carbunculo in facie laborans inuſtione fuit curata. Cæterum Paulum quoque exiccantia pharmaca ad Eſcharas Igni ſuccedentes præſcripſiſſe ſatis conſtat ex lib. 4. cap. 19. vbi de Gangrena loquens poſt inuſtionem, hæc habet, Iam panis cum Appio tritus, aut ocymo: ſic Iſis, vel panax, vel Ariſtolochia, vel Achorum cum melle, vel thus cruſtas probè ſeparat. Idem præſtat Macherionis medicamentum, & Iſis linamento illita ex melle. In teneris vero corporibus abundè eſt etiam Erui farina ex melle. Paulo conſentit Albucaſis lib. 2. cap. 54. vbi ſulphur cum Oleo Eſcharam eradicare ſcribit. Gal. vero loco proximè adducto pro eadem intentione valentiſſima proponit ex Andromacho Archigene, Muſa, Sorano, & Heraclide, quæ longum eſſet recenſere. Mihi ſummopere placet illud quod ibi ex Critone affertur, Recipit miſyos tot refacti drac. iij. Mellis boni cyathos vj. commiſce, ac vtere: è veſtigio enim cruſtas tollit. Quod veritati conſentire propria experientia iam diu comprobaui, & idcirco affirmo ad eſcharas cito extirpandas præſtantiſſimum eſſe medicamentum. Verũ cum hac noſtra tempeſtate (vt multorum fert opinio,) miſy non reperiatur, eius loci Vitriolum Romanum ſemper ſubſtitui. Hæc quæ hactenus deſcripſimus, pharmaca, ſi quis attentius conſideret, inueniet alia imbecilla, alia valida, alia mediocria eſſe. Validiſſimum eſt iſtud, quod ex Critone attulimus; mediocre Emplaſtrum Macherionis, & Iſis; cætera omnia imbecilliora. Quibus in corporibus delicatis in Carbunculis minoribus, nec admodum malignis vtemur, alia omnia pro fortioribus corporibus, deterioribus Carbunculis, & admodum

Obſeruatio.

depaſcen-

depaſcentibus reſeruantes,hoc habito reſpectu,vt pro corpo ris,& affectus conditione validiora,& minus valida eligantur, non neglecta vnquam circumiſita inflammatione.

Remota Eſchara Vlcus ſumma diligentia eſt detergẽdum, vt ſorditie omni profligata ipſius cauitas carne citò repleatur: idem etiam efficere oportet in illis Carbunculorum vlceribus, quæ ſine cauſticis & Igne curantur. Detergunt (vt dixi) radices liliorum, & valentius cum melle. Ad idem valet iſtud medicamentũ Rec. Succi Appij Abſinthij an. vnc. s. Mellis roſ. ſimpl. vnc. 1. s. farinæ hordei,& Lupinorum quantum ſufficit ad inſpiſſandum. Aliud paratu facilius. Rec. Therebintinæ drac. vi. Mellis roſ. vnc. 1. farinæ hordei parum Miſce. Aliquando adeo magnum, & ſordidum eſt Vlcus vt validiora requirantur, Vnguentum nempe Apoſtolorum vel Aegyptiacũ, quorum ope, ſi ad ſit membrana, vel neruus putrefactus medullę ſpeciem prę ſeferens eximitur. Vbi vlcus purum fuerit, cum ſcilicet rubet, ac nimium neque ſiccum, neque humidum eſt, Sarcotica requiruntur varia quidem pro varietate magnitudinis Vlceris, temperaturæ, ſenſus partis vlceratæ, ſaniei copiæ, & ambientis nos aeris. Vt plurimum autem Aeſtate conuenit Vnguentum de Thutia, Citrinum: Hyeme Vnguentum Iſis, & de Bettonica cum pulueribus: medijs temporibus Vng. de Bettonica ſine pulueribus ex ſucco nempe Bettonicæ, oleo,& pauca cera factum, vel vnguentum Reſinum. Sub his actu humidis,& mollibus medicamentis caro cito expullulat; ſed aliquando iuſto mollior, vnde ipſis dimiſſis Sarcoticis pulueribus vtendum. Immo ſi corpus durum,& ſiccum ſit, ſi vlcus magnum, vel ſanie refertum, vt ſæpe in hoc caſu euenit, iſti puluc res omnibus alijs carnem generantibus anteponendi. Diuerſo modo conficiuntur pro diuerſitate iam enarratorũ: frequẽtiſſimè tamen iſto vtimur, quod Recipit Thuris, Radicis Iſidis illyricæ, Ariſto lochiæ an. drac. s. Redigantur in tenuiſſimum pollinem, ne vlceratam partem irritent.

De Abſtergentibus.

De Sarcoticis.

Quia verò vel Chirurgi negligentia, vel Aegrotantis ingluuie caro in vlcere nonnunquam nimis luxuriat, reprimenda iſta eſt linamentis ſiccis, vel linteo in aqua Aluminis infuſo. Quod ſi magis abundet probatur Alumen ipſum vſtum,& cu-

De auferentibus carnem ſuperfluam.

N curbitæ

curbitæ cortex vſtus, & in puluerem redactus, hic enim paruā admodum moleſtia ſupercreſcentem carnem mirum in modum extirpat. Et quia accidit quandoq; vlcere amplo exiſtēte, vt alicubi caro deficiat, alicubi abundet, alicubi denique ferè æqualis ſit, vt cicatrix pulchra remaneat, quod præſertim diligenter eſt curandum in Carbunculis faciei mulierum, quæ nil magis odio habent, quam turpitudinem, eodem tempore Sarcotica, carnem ſuperfluam auferentia, & epuloctica debēt apponi: de quib. poſtremis, vt agamus, ordinis ratio nos monet.

De Epuloticis. Epuloctica igitur vel cicatrizzātia tunc adhibere oportet, cum in Vlcere aliqua uiſitur cauitas exigua tamen, ſi enim tota vlceris cauitas carne ſit repleta, cicatrices fient circumpoſita cuti eminentiores; Materia epulocticorum multiplex apud Autores habetur. Placet mihi in hoc caſu, Tuthia præparata, æs vſtum lotum, vnguentum de Ceruſſa, de Thutia, Ceratum de Ceruſſa camphoratum, Diapalma, & de minio Hyeme præſertim. Quibus remedijs communiter practicantes indifferenter vtuntur, non ſic Galenus 13. Meth. cap. 5. ſed Epulocticum ſiccum, vt puluerem Thutiæ, & æris vſti in circuitu vlceris imponit, cum. n. propè ſint ſanę partes, ſubhumido medicamento, quamuis cicatrizzante nimis caro augetur ob facultatis robur: accedit quod vlcus in circuitu ſemper habet minorem cauitatem, quam in medio, vnde ibi epulocticum forte requiritur, hic verò debilius, molle ſcilicet, & humidum, vt eſt aliquod ex prædictis vnguentis, à quibus caro etiam deficiens regeneratur: carne poſtea vndique ęquali exiſtente ſiccum tantum epulocticum vſurpandum. Foris vero, vt ibidem legitur, ſuffecerit linamentum, vel ſiccum, vel vino madens, ac potiſſimum quod ex mollibus fit elychmijs: ſupra quod Ceratum Diapalma applicetur in latiori linteo extenſum: hoc. n. ad fluxiones arcendas, & ad partem roborandam optimum eſt, tuetur quin etiam vlcus ab aeris frigiditate, etiam medicamenta prius impoſita in ſua ſede conſeruat; idcirco eo quoque tempore, quo vlceris deterſioni, vel carnis generationi incumbimus, aut iſtud, aut Ceratum de Ceruſſa, ſi pars calidior ſit alijs medicamentis ſuperponere maximè erit proficuum.

Curatione abſoluta ſi rubra, vt ſæpe ſolet, remaneat cicatrix,

trix,præſertim in patentioribus partibus,& in facie ipſa,quam ob ſui laxitatem Carbunculi frequenter infeſtare conſueuerunt ad turpitudinem illam delendam Oleum de Vitellis Ouorum;Pinguedo humana,& Vnguentum Citrinum erunt opportuniſſima:optimum etiam eſt pro Diuitibus Balſamum, ſi penna in ipſo intincta locus liniatur ſæpe,quoniam ita cicatricem attenuat,vt vix appareat. Ex his igitur conſtat,quæ ſit vera,& germana Maligni Carbunculi vlcus curandi ratio.

CAPVT SEXTVM.

De maligni Carbunculi Inflammatione curanda.

NVNC Ad eiuſdem Maligni Carbunculi inflammationem ſermonem conuertentes illud in primis admonemus,hanc duplicem habere conſiderationẽ,quatenus ſcilicet eſt in fieri,vel quatenus eſt in facto eſſe: dicitur in facto eſſe reſpectu ſanguinis defluxi,dicitur in fieri reſpectu ſanguinis defluentis. Quę ex defluẽte ſanguine ratione termini à quo hauriantur indicationes, non ſolum capite primo huius ſectionis expoſuimus,ſed materias præſidiorum illum reſpicientes deinde edocuimus. Poſtulat itaq; locus hic, vt ad ſpacium,per qđ materia fluit oculos dirigentes de Intercipiẽtibus habeamus orationem,quæ Defenſiua communiter appellantur,nam vaſa conſtringendo humorum tranſitum ad patientem particulam impediunt,& quaſi in itinere remorãtur,eoſdemq; admotum ſegniores reddunt. Dubitare poſſet aliquis,an in pręſenti curatione habeant locum, & dubitandi occaſio inde oritur, quia prauorum humorum tranſitus à partibus nobilioribus,& intrinſecis ad extrinſecas,& ignobiles non videtur prohibendus. Reſolutio eſt talis: humor vitioſus,qui nullo pacto eſt intercipiendus,cõfluit in prima principij parte, veriſimile enim eſt,expultricem facultatem in hoc expellendo maxima diligẽtia,& celeritate vti: humores vero qui deinde fluunt à calore, & dolore,partis attracti ſunt benigniores, & id circo Medic.

De tollenda cicatricum deformitate.

De Intercipientibus.

qui vt plurimum vocatur in fine Principij, vel in Augumento eos intercipere iure merito debet, ne pars ad ingentiſſimum deuecta tumorem penitus corrumpatur. Alio etiam nomine

Locus Intercipientium.

hic defenſiua admittuntur, quatenus ſcilicet obſtant, ne materia Carbunculi, vel praua eius qualitas ad Cor retrocedat, & hoc plurimum refert. Apponuntur huiuſmodi intercipientia non quidem ſupra vlcus, aut inflammationem, ſed propè inflammationem in locis ex carnibus, in quibus vaſa ſunt euidētiora e. g. ſi Carbunculus ſit in Pede, ſupra Malleolos: ſi in Tibia, ſupra Genu: ſi in Coxa, ad inguina: ſi in Manu, ad Metacarpiū: ſi in vlna, ſupra cubitum: ſi in Humero ad ſummum humerum, & ſub axillis: ſi in Capite circa Collum. formula intercipien-

Materia Intercipientium.

tium eſt hæc. Rec. Vng. Populei, Olei roſ. Myrtini an. drac. ij. Vini Granatorum vnc. 1. s. Boliarmeni, Terrę ſigillatæ an. drac. 1. s. Ceræ albæ parum M. fiat Vnguentum. Aliud efficacius, Rec. Boli Armeni, ſang. Draconis fini an. drac. 1. Bauſtiorum, Gallæ immaturę an. drac. ij. Thuris drac. 1. s. Mirtillorum tantundem. Omnia in pollinem redacta tenuiſſimū miſceantur inuicem Oui albumine, & modico aceto. Expeditiſſimum defenſiuum eſt, ſi lintea in poſca ex æquali portione aquę frigidæ, & aceti, vel Vini granatorum madefacta parti imponantur, & ſæpe permutentur, antequam incaleſcant. Conueniunt præcipuè in Carbunculis Capitis, ne ad immenſam molem, vt ſolent, deueniant: applicentur in parte anteriori Colli, vbi excurrunt venæ iugulares: mirabiliter operantur, nā expertum eſt maximas ſanguinis profuſiones ob vulnera faciei, & temporum huiuſmodi linteis fuiſſe ſedatas. Non improbo Vnguentum Defenſiuum officinarum. Quo ad vſum debent intercipientia adhiberi actu frigida; Hyeme vero tepida tenui linteo extenſa, cui aliud linteum Oxicrato madidum ſuperimponatur: vbi ſicceſcunt, & dura euadunt immutentur, idq; toties fiat, quo ad morbus cæperit declinare.

De Reprimentibus.

Pro complemento omnium indicationum à defluente materia deſumptarum, reſtant illę, quæ accipiuntur à termino ad quem, ratione cuius, cum fluxio fiat per impulſionem indicantur reprimentia. Et quia iſta materia ad terminum fluxionis iā peruenta dici poteſt defluxa, ideo non aberrabit, qui aſſeret

reprimentia à materia fluente, & fluxa indicari, vt innuit Gal. 13. Meth. cap. 6. & 8. quamuis enim vnum ab vno indicetur, & iſta materia ſit vna tantum, tamen quatenus iam attigit exigua vaſa per ipſam partem diſperſa, vel ſpacia vacua, quæ interponſitur inter partes ſimilares, Venas nẽpe, Arterias, Neruos, Membranas, Muſculos, & alias huius naturæ dicitur defluxa: quatenus verò, niſi aliquid impediat, eadem materia vlterius progrediens ad partium ſimilarium poros defertur, dicitur defluens. Qua diſtinctione adhibita poſſunt, ni fallor, controuerſæ Neotericorum opiniones circa reprimentis indicans conciliari, illud pro certo accipiendo, materiam iam ad Poros delatam quam impactã 13. Meth. cap. 7. Gal. nuncupat non repercutientibus, ſed digerentibus, & reſoluentibus eſſe euacãdã. Quę vero in Vaſis exiguis, vel ſpacijs vacuis permanet, reprimentium vſu retro pelli debere, eo magis cũ Gal. teſte lib. Artis Medicinalis cap. 95. hæc expeditior ſit euacuatio, quia per maiora fit, videlicet per maiora Vaſa, & ſpacia quoniam inflammationis materia à venis minoribus ad maiores retruditur: contrarium euenit in reſolutione, quæ ſemper fit per minora ſpacia, ita vt tãdẽ per anguſtos cutis poros materia in halitum conuerſa euaporet, quæ omnia ad dilucidationem iſtius Gal. loci à paucis declarati obiter dicta ſunto. *Dilucid. Galeni text.*

Nunc vniuerſalem doctrinã particulari applicantes, Reprimentia in hac curatione videtur ſuſpecta, quippe materia craſſior eſt, & impacta, in qua huiuſmodi præſidia parum, aut nihil operantur 13. Meth. cap. 6. Accedit, quod quamuis materia hæc poſſet repercuti, id tamen Gal. 14. Meth. cap. 10. improbat his verbis. Imponi verò laborans particula, quod ad humorum inflammationem ſpectat, refrigerantia deſiderat. Cæterum propter humoris craſſitudinem, atq; et malitiã, nec fluxionẽ auertere vnquam poteris, etſi quando id effeceris aliud quippiam quod in alto ſit corpore offendes. Quid igitur agendum? Repellentia in Carbunculi inflammatione duplicem habent conſiderationem, quatenus apponuntur, vel vt repellant ſanguinem atrabilarem, vel alios humores tenuiores à calore, & dolore attractos; primo modo nihil agunt, etſi agerent, peſſimum eſſet, nam materia retrocederet ad partes principes: *An repellenti in hac curatione conueni*

cipes: ſecundo modo & agunt aliquid, etſi mitiora ſint, admi-niſtrari poſſunt in principio; ſemper admiſcendo illa, quæ mediocriter reſoluunt. Ita refrenatur impetus fluentis humoris, qui nullo pacto eſt negligẽdus, ipſiusq; aliqua pars diſcutitur: Vnde à Natura reliquum facilius ſuperatur. Quod ſi à principio prætermiſſis omnino repercutientibus ſolis digerentibus ageretur, periculum eſſet, ne ob maximam inflammationẽ natiuo calore ſuffocato, pars affecta corrũperetur. Quamobrem Cataplaſma de Arnogloſſa à Gal. loco proximè citato propoſitum, & ab omnibus receptum in principio iſtius inflammationis ſummopere commendandum, tanquam illud, quod modicè reprimit, & reſoluit, putredini quoque ſummopere aduerſatur. Conficitur huiuſmodi Emplaſtrum ex æquis portionibus foliorum Plantag. maioris virentium, lentis, & Micę Panis teneræ, qui clibano ſit incoctus. Eſto autem panis, nec omnino à furfure putus, nec nimium eius habens, ſi quidem qui omninò purus eſt, eius ſubſtantia in cutis meatibus hærere eſt apta ἐμπλαστικώτερον Græci vocant, & ob id reſolutionem remoratur: furfuraceus autem craſſiorum eſt partium. Præparetur Medicamentum hoc pacto: decoquantur lentes in aqua communi, deinde paullo poſt panis, & folia Plantaginis maioris, nam hæc melior, & efficacior, eſt: tandem omnibus ſimul tuſis conficiatur Emplaſtrum, quod mollius euadet, ſi per cribrum tranſmittatur modicum ſupradicti decocti ſuperaddendo. Cæterum ne quis ob materię humilitatem medicamẽti vires deſpiciat, ipſius ingredientia ad examen reuocemus. Folia Plantaginis virentia refrigerant, & deſiccant exceſſu ſecundo, modice etiam abſtergunt, vt habetur 6. Simplicium. Præterea ex Dioſcoride Vlcera ſerpentia, Carbunculos, Nomasq; cohibent. Lentes medium tenent caliditatis, & frigiditatis, exiccant tamen in ſecundo ordine, vt legitur 8. ſimplicium; vnde humores in affectam partem defluentes repellunt, aliquo pacto refrigerant, modicè reſoluunt, & putredini obſtant; hinc à Dioſcoride ad ſerpentia Vlcera, & Gangrenas comprobantur. Panis ratione fermenti, & furfuris reſoluit; & ratione farinę, ad bonã Cataphlaſmatis compagem conducit, doloremq; lenit. Iurę itaquę emplaſtrum de Arnogloſſa iã pridem communis

Emplaſtrũ de Arnogloſſa.

ſcripto-

ſcriptorum conſenſus approbauit, Quod ſi inflammatio eryſipelatis naturam referat, ceratum humidum non reprobandum, ſi ipſi acetum ſit admixtum, vt docet Gal. primo ſimplicium cap. 31. Parari etiam poterit emplaſtrum de Arnogloſſa non cum folijs, ſed cum ipſius Plantaginis ſucco, cæteris non immutatis, nam valde refrigeratorius eſt plantaginis ſuccus. Et quia ipſius folia hiberno tempore, & veris principio non inueniuntur, vtile eſſet ſuccum iſtum à Seplaſiarijs ad hunc ẽt vſum aſſeruari. Iiſdem indicationibus ſatisfacit ſequens cataplaſma, quod maximè etiam putredini reluctatur. Rec. Malũ Punicum acidum, & alterũ dulce, hordei, lentium an. man. 1. fol. ſcabioſæ, Plantaginis an. pug. 1. s. Coquantur in poſca donec rumpatur hordeum, & contundantur, poſtea accipe pulpam Cidonij ſub prunis cocti, & confice emplaſtrum S. A. quod deficiente Plantagine cum alijs præparetur, quia ita ẽt erit opportunum. Conueniunt hæc omnia non tantum in principio, ſed etiam in maiore parte augumenti, dico in maiori parte, nam in fine Augumenti Reſoluentibus agendum.

Inflammationi eryſipelatorũ quæ conueniãt.

Emplaſtrum in Principio, & Augumento cõueniens.

Quę reſoluentia mitiora eſſe dẽnt vſq; ad finem Status, tũc enim cum ardor acquieuerit, fortiora vſurpanda. Inter mitiora enumerari poteſt ſequens medicamentum, quod Rec. Fol. ſcabioſæ minoris man. ij. Decoquantur, & contundantur, deinde adde farinæ hordei vnc. iij. pulu. fol. Cupreſſi vnc. j. Oximel. s. vnc. ij. Cum decocto Scabioſæ fiat Cataplaſma. Aliud efficacius Rec. fol. Rutæ man. 1. fol. Cupreſſi, Caricarum an. vnc. ij. Decoctis & contuſis adde Paſſularum ſine Nucleis, farinæ hordei, Nucis Iuglandis veteris contuſæ an. vnc. ij. Olei ex Nucibus vnc. j. s. cum ſupradicto decocto fiat emplaſtrum.

Emplaſtra pro vltima parte Augumenti, & pro Statu.

Accidit frequenter, tum in Carbunculi initio, tum in Augumento ipſius Vlcus latius ſerpere, & circumiacentes partes maximo cum impetu depaſcere, in quo caſu placet mihi conſilium Auic. & Pauli his verbis deſcriptum, At quo radicitus Carbunculos diuellas, dirimasq́, ab adiacentium commercio Malum Punicum minutatim conciſum in aceto coques, vbi intabuerit in leuorem deteres, linteoq́, illitum induces: cum ſicceſcit aceto humectabis. Huc quoque ſpectat remedium Aetij, quod (ipſo Autore) poſt ſcarificationem Carbunculos à vici-

Emplaſtra ad Depaſtionẽ ſiſtendã idonea.

Emplaſtrũ ex malo Punico.

Emplaſtrũ ex Mal.gran. à vicinis partibus radicitus euellit. Mali punici acidi recentis, ac maturi corticem exemptis interioribus in aceto coquito, & flauidum factum tritum, & ſuper linteolum ad emplaſtri formam extenſum adhibeto, aſſiduèque acetum ſuperſtillato, ne exareſcat. Et quia Vere, & Aeſtate Malapunica recentia deſiderantur, non erit ab re tale præſcribere medicamentum. Rec. Cort. Granatorum vnc.iij. foliorum Plantaginis, Scabioſæ an. man.1. Micæ panis ſecundarij, vnc.iiij. decoquantur in vino Granatorum, & modico aceto, fiatq; emplaſt. S. A. Proponit Gal.2. ad Glau. cap.2. emplaſt. ex farina Orobi cum Oxi mellite, quod & partes à putredine tuetur, & reſoluit; ſed dum inflammatio vehemẽtius affligit, prædicta ſunt magis opportuna, nam etſi validius repellunt, putredini ſtrenuè reſiſtunt, quæ dum Vlcus ſerpit vrgentis ſubit rationem.

Emplaſtrũ ex farina Orobi.

Emplaſtra pro vltima parte ſtatus. In fine ſtatus, & paullo ante niſi feruor impediat, plerią; laudant ſequens emplaſtrum, quod. Rec. fol. Cupreſſi viridium, Paſſularum enucleatarum, caricarum an. vnc.iij. fol. Rutæ man.1. farinæ hordei vnc.iiij. aſſę fœtidæ drac.1. Sem. Papaueris nigri vnc.s. Mellis vnc.iij. Nucleorum iuglandis. Vnc. ij. Picis naualis vnc.1. Vini optimi q.s. Coquantur omnia ad conſumptionem Vini, & fiat Emplaſt. quod per inſenſibilem halitum tumorem reſoluit.

Rectus emplaſtrorum vſus. Pro omnium iam deſcriptorum Cataplaſmatum recta adminiſtratione animaduertendum primò, vt lenia, & mollia ſint, ne partem inflammatam exaſperent. Secundò, vt hyeme bis, & ter. Æſtate quater immutentur, & ne exareſcant, decoctum quod ex confecto cataplaſmate remanet ſuperinſtillandum. Tertiò vt inflammationem tantum, non vlcus attingãt, idcircò extendantur ſuper linteum non aſperum, in cuius medio fiat orificium pro magnitudine vlceris, vt medicamenta vlceri opportuna commodè poſſint imponi. Denique dũ emplaſtrum aufertur, ſi illius aliqua pars à nimio calore exiccata parti adhæreſcit, abluatur cum decocto ſcabioſæ, aut Vino auſtero.

Sed materia tumoris cauſſa quandoque ita redũdat, vt iſta inſenſibilis euacuatio nequaquam ſufficiat, immo periculum imminet, ne a materiæ multitudine, & craſſitie adeò prohibea

tur

tur conſpiratio, vt ſuffocatus calor corruptionis partis (Gangrenam Medici vocant) ſit in cauſſa. Ad quod reſpiciens Gal. 13. Meth. cap. 5. hæc habet. Vbi diſtentæ vehementer glandulæ ſunt, aut alia denique particula quæuis, quam phlegmone premit, cogimur toto corpore prius vacuato ipſam ſcarificare. Dum itaque res ita ſe habet in augumento, & in ſtatu quoque Carbunculi inflammata loca ſcarificare expedit ſuperficialiter tamen, & in frequentibus ictibus, ne dolor exacerbetur. *In inflammatione Carbunculi probantur, aliquando ſcarificationes.*

Et quia extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt, præter ſcarificationes iam dictas, aliqui ad cauteria actualia, ad ignem ſcilicet ipſum confugere fœlici admodum euentu; vt legere eſt apud Luſitanum Cẽturia quarta curatione nona Cuius verba hic adſcribere maximè vtile exiſtimo, vt medicamenti iſtius vſus magis elucefcat. Sed vt res melius intelligatur ſciendum in propoſita curatione agi de Carbũculo inferiorem oculi ſiniſtri palpebram infeſtante, cuius curatio à venæ ſectione tertia die fuit auſpicata, quæ veſperi, & ſequẽti die repetita nõ prætermiſſis alijs remedijs haud potuit vim morbi coercere: Vnde inquit ille. Demũ, vt multa paucis concludam, ita morbus increbuit, vt hominis caput cum facie Giganteum fuerit redditum, adeo vt per plures dies non viderit: tunc Cauteria quinque actualia, hoc eſt candente ferramento illi impoſita ſunt, duo cultelaria dicta ſecundum capitis longitudinem ad latera ſincipitis: alterum rotundum in medio ſincipitis non procul à loco, vbi terminantur capilli ad Craneum vſque penetrans: alterum ad Mandibulam affecti loci: alterũ vero ſupra ipſum cruſtoſum vlcus. Sed ne tibi duriuſculũ hoc factum eſſe videatur, audi; ex tribus locis in capite vſtis ichores citrini malignitatem præ ſe ferentes exiere, vt facile credere eſſet, huius caput in Gangrenam breui venturũ, ni ita præſentaneo remedio vteremur. Sequenti vero die, & ichores exibant aquei, citrini: ſed caput, & cætera membra detumeſcere cœperunt, quod opus refrigerantibus medicamentis nunquã obtinere potuimus. ſubdit paulo poſt iuuenem illum fuiſſe curatum amiſſa tamen tota ferè inferiori palpebra. Ex qua verborum ſerie elicitur cauteria actualia hominem ab euidenti, *Probantur quoque actualia cauteria.* *Hiſtoria.*

O pro-

proximoq́; interitu vindicaſſe, quorum & ſi nunquam in praxi periculum feci, tamen in præcipiti conſilio mihi non viden tur omittenda.

Emplaſtra pro Declinatione.

Tandem inflammatione iam declinante non improbandū hoc emplaſt. quod Recipit, auripigmenti, Piperis, an. drac. ij. Caricas pingues numero x. fiat emplaſt. cum Melle. Vtile etiā eſt Aetij, & Pauli medicamentum ad quod parandum accipitur argenti ſpumæ lib. Olei Veteris lib. & ſemiſſis, auripigmēti vncia. Oleo cum argenti ſpuma dum manus non inquinet decocto, ſublatoq́; ab igne auripigmentū adijcitur, rurſusque Medicamentum coquitur donec nigreſcat: ita enim facultatē obtinet reſoluendi, & emolliendi. Quod ſi durities maior validius emolliēs requirat, optimum eſt Ceratum Oxeleū, quod mirabiliter emollit.

Ennumerantur multi errores, qui in Topicis Carbunculi remedijs committuntur.

Hoc pacto ulcus, & inflāmatio maligni Carbunculi à dogmatico Medico curari debet, ita enim æger, vt plurimum ſalutem, ipſe vero honorem, & gloriam adipiſcetur. Nec imitandi ſunt illi; qui tum vlcus ipſum, tum inflammationem ſuppurantibus ſanare tentantes homines de medio tollunt. Quibus illud Macrobij dictum ob oculos antepono. Dij lanceos habēt pedes, addens, quod tarditas vindictę grauitate compenſatur. Profitentur ex iſtis non pauci Medicos Chirurgos, quibus ita me Deus amet, nec Barbitonſoris nomen aptari poteſt, quia ſic ſe habent ad Chirurgicam artem, quemadmodum Aſini ad liram, immo multi reperiuntur Veterinarij ipſis doctiores. Vera loquor, quippe innumera iſtorum errata multis ab hinc annis magno animi mei angore obſeruaui: & recordor ſuperioribus annis quendam ex iſtis, qui nil aliud quā Theriacam vlceri, & Vng. de Ceruſſa inflammationi imponebat multos in nobili Oppido interfeciſſe, qui ſub Chirurgi dogmatici cura dubio procul valetudinem recuperaſſent. Et ne videar id ſine ratione enunciaſſe, Galenus de Theriacæ viribus pluribus in locis accuratè diſſeruit, nullibi tamen ad Carbunculi vlcus ipſam commendauit. Dicet ille, commendarunt alij poſt Galenum, nec iniuria, nam cum exiccet gradu tertio inter primæ claſſis remedia enumerari poteſt. Gratis hoc damus; ergo in quocunque Carbunculo Theriaca ſatis

Hiſtoria Chirurgici peſſimè Carbunculos curantis.

eſt?

eſt? nequaquam; nam primæ Claſſis remedia leuiſſimis tantum Carbunculis medentur; qui rariores ſunt: in cœteris vero Catheretica, Cauſtica, & ignis ipſe vix, ac ne vix quidem aliquando ſufficiunt. Quamobrem Theriaca in Vlcere iſto curando parui momenti eſſe tum experientia, tum ratio demōſtrat: atq; hinc elicitur, nec ad occultam proprietatem illam in hac cura vſurpantes confugere poſſe. Quod animaduertentes aliqui non infimæ notæ viri ſale, & pipere Theriacæ ſiccitatē augere pro hac cura conati ſunt. Vng. vero de Ceruſſa nullam reſoluendi uim habet, ſed tantum refrigerandi, & reprimendi, nec putredini valenter reſiſtit ob ſui humiditatem, quam ab albuminibus ouorum, & ab oleo acquirit: id circo nullo vnquam tempore ſupra Carbunculi inflammationem eſt apponendum. Reperiuntur præterea aliqui, qui non ſuppurantibus nec Theriaca, ſed emplaſtro de Arnogloſſa alijsq; conſimilibus curationem hanc abſoluere profitentur, eadem ſupra Vlcus quoque adhibentes. Nec deſunt, qui Vlceri tantum medentur inflammatione derelicta. Alij inflammationem quidem nō deſpiciunt, ſed Vnguento defenſiuo officinarum ſtultè admodum ipſam curare nituntur. Vel ſi aliud remedium pro inflammatione præſcribūt, idem tam in principio, quam in Augumento, & ſtatu conuenire contendunt. Tędio lectores afficerem, ſi omnia iſtorum errata hic adſcriberem, & ob id ipſis dimiſſis moneo, vt quiſque propoſitam ſequatur medendi viam, tanquam à ratione deſumptam, & ab experientia confirmatam. Tot de Maligni Carbunculi omnimoda curatione dixiſſe ſufficiat.

Theriaca in vlcere iſto curando parui eſt momenti.

Improbatur vnguentū de Ceruſſa.

CAPVT SEPTIMVM.

De Pharmaceuticis tum internis, tum externis Peſtilenti Carbunculo conuenientibus ipſius tantum localib. exceptis.

PEſtiferi affectus adeo contumaces, & ſanatu difficiles ſuapte natura ſunt, vt generoſa etiam medicamenta opportunè adhibita, vt plurimum contemnant. Hinc

eſt, quod Medici quidam præclariſſimi magis circa ipſorum præſeruationem, quam curationem laborarunt. Poſtularet itaque locus hic, vt ego quoque de Carbunculi peſtilētis præſeruatione verba facerem, ſed cum id agere, nil aliud ſit, quã de Peſte, & Peſtilentis febris præſeruatione differere, negotium iſtud Scriptoribus, qui de illis ex profeſſo tractationem inſtituunt relinquens, ad curationem ſtatim me conuerto. In cuius principio non ſolum inter antiquos, ſed etiam inter huius ſeculi Medicos maximopere eſt controuerſum: An in Peſtiferarum affictionum initio Pharmacum purgans exhibere, expediat. Extant pro vtraq; parte Viri clariſſimi, qui omnes, propriam opinionem maximo conatu tueri nituntur. Hanc controuerſiam exactè decidere mihi non eſt animus, cum ſat ſit in præſentia ea tantum in medium afferre, quæ pro peſtilentis Anthracis curatione videntur neceſſaria. Auerro. Gal. & ſuorum ſectatorum infenſiſſimus hoſtis 7. Colliget cap. 31. hæc litteris conſignauit. Carbunculus verò eò quod pro maiori parte ſit in Aere peſtilentiali, ebullit ſanguis, & putreſit, & propterea de neceſſitate inducit febres Peſtilentiales. Medicatio verò illarum fieri debet cum ambabus ſpeciebus euacuationis, vt phlebotomia, & pharmacia. Et in hac febre non ſufficit Medicina vnum tantum purgans humorem; ſed de Medicina omnes purgans humores, ſicut Pilulæ Cochiæ Raſis. De tempore Auerroes ne verbum quidem, ſed Auic. 1.4. trac. 4. cap. 4. curam febrium Peſtilentium à purgatione incipiendam eſſe præcipit; cuius autoritati plurimum tribuentes nonnulli ex recentioribus, duodecim horis poſt ſectionem Venæ exhibent ſcãmonium, vel Collocynthidem, vel Elleborum nigrum, vel Pilulas de Euphorbio pro qualitate humoris peccantis: nec verentur aliqui aſcendere ad Antimonium ipſum præparatum. Ego autem ſum huius ſententiæ, in Carbunculo Peſtilenti nequaquam ab initio purgantia medicamenta conuenire: nam Carbunculus, aut primo morbi inſultu, aut ipſo iam progreſſo erumpit, ſi primo morbi inſultu, conſtat apud omnes ſtatim ſanguinem copioſè eſſe educendũ non tamen vſque ad animi deliquium ob vires, quæ ſtatim a praua illa putredine redduntur imbecilliores: quæ virium imbecillitas ob ſangui-

Aliqui in Peſtiferis affectibus magis circa præſeruationem, quam curationem laborarunt, & cur.

An in Peſtiferorum Carbunculorum initio Purgans Pharmacum conueniat.

Suſtinetur pars negatiua. Prima Ratio.

ſanguinis euacuationem aucta, qui fieri poterit, vt medicamẽti purgantis vſum non interdicat, eo magis ſi morbo iam progreſſo Carbunculus extuberet? Interdicit ſecundo internarũ partium æſtus, nam quamuis extimæ partes tepidiores tactui appareant, interiores maximo, vt plurimum flagrant incendio. Hinc eſt, quod non ſatis aſſequi poſſum illorum placitum qui Theriacam ob caliditatem à febrium peſtilentium curatione omnino excludũt, & nihilominus in eadem Pilulas, & alia prædicta recipiunt Theriaca ipſa longè calidiora, eo magis ſi in ſolida ſubſtantia exhibeantur. Interdicit tertio periculum retroceſſus materiæ. Etenim cum purgans trahat à ſuperficie ad Cẽtrum ob totius ſubſtantiæ ſimilitudinem humorem ſibi congeneum, quid prohibet quo minus ſuccum excellenti putredine infectum à cute ipſa à parte inquam ignobili ad uiſcera trahat maximo Aegrotãtis incommodo? Tucius profectò conſilium eſt illos per cutẽ educere, eo magis quia, vt legitur 2. in 6. Epide. tex. com. 29. ſucci ad cutem vergentes per cutem ſunt euacuandi. Nam iterũ ad interna corporis reuulſio ipſis valde longinqua eſt, vt per Ventrem aut Vomitum euacuentur. Interdicit quarto fluxus alui colliquatiuus, qui Gal. teſte tertio in tertium Epide. tex. com. 57. eſt ſymptoma in perpetuum febris, quam peſtilentem vocitant: Ex cuius ſymptomatis vitio in illa conſtitutione, vt ait Hipp. in eodẽ contex. omnes pręcipuè exanimati ſunt. In cuius rei confirmationem ſubdit ſtatim Gal. in cõmentario. Et Peſtis quoque longiſſima, quæ noſtra ætate vulgata eſt per excrementa alui omnes propè peremit. Nec mirum alicui accidere debet Gal. lib. de atrabile cap. 4. oppoſitum ſcripſiſſe, aliquos nempe in Peſtilentia illius ęſtatis alui fluxu, aliquos puſtulis nigris per totum corpus crumpentibus ſuiſſe ſeruatos. Quia multæ propoſitiones Medicorũ ſunt veræ vt in pluribus. Illud pro certo habendum in Peſtilentibus febribus fluxum colliquatiuum, vel adeſſe, vel ſaltem imminere: & q̃uis natura aliqñ iſtas ꝑ alui excretionẽ benè iudicauerit, id nõ primis diebus, ſed ſeptimo, nono, & vndecimo cõtigit, vt proximus Gal. locus manifeſtè declarat: Conſiderent hæc omnia, qui in Peſtilentibus febribus, & Carbonibus catharticis vehementioribus tantoperę delectantur: & legant

Secunda. *Tertia.* *Quarta.*

gant prętereà Ariſtocratis hiſtoriam. 7. Epide. contex. 39. inuenient enim hunc ingenti Carbone laborantem poſt aſſum ptum Mercurialis ſuccum ab initio in colliquatiuum fluxum incidiſſe. Interdicit quinto materiæ cruditas, qua exiſtente Hipp. & Gal. primo Aphoriſm. tex. com. 23. à purgantibus abſtinendum conſulunt, niſi materia turgeat, quo tempore viri bus conſtantibus ego quoque in Carbone peſtifero purgans mediocre exhiberem. Scio præter turgentem materiam vrgentem Neotericos excogitaſſe, & multa alia, quæ ad trutinā reuocare non eſt præſentis loci. Iſtis igitur dimiſſis, ſtatuo in huius Aegritudinis initio medicamentum purgans nequaquā habere locum, multo minus in augumento & ſtatu, ſed ſolum in declinatione natura ipſa otiante: tunc enim materia eſt cōcocta, fluxus colliquatiuus, & recurſus amplius non timetur, ardor internus fuit extinctus, & vires poſſunt perferre. Quæ debeat eligi purgantis materia ex cap. 3. huius ſectionis colligatur. Id tantum moneo mitiora eſſe eligenda, & non impensè calida, vnde Pilulæ Cochiæ ab Auerroe approbatæ omnino reijciendæ, nam quod conueniant ob facultatem quam habēt omnes humores purgandi, ſunt verba cantionum, quoniam in febre peſtilenti, non ſemper omnes humores, ſed multoties vnus tantum, vel duo putredine afficiuntur.

Quinta.

In Declinatione tantum Peſtilentis Carbūculi conuenit pharmacum purgans.

Auerroes notatur.

Reiectis itaque purgatorijs pharmacis in Carbunculi peſtilentis initio, videndū an eodē tempore lenientia conueniant. Profectò ſi materia in ſtomacho, & primis vijs reſideat expurgatione indigens lenientium vſus ob rationes ſuperius allatas maximè vtilis iudicandus, niſi vires, aut aliud prohibeat. Eligantur medicamenta, quæ præter facultatem lenientem uim habeant refrigerandi, & ſiccandi deleteriç qualitati reſiſtēdi, & aliquo pacto roborandi. Placet in hoc caſu Tamarindorum pulpa à Nucleis purgata, nam præterquam exuſtos humores euacuat putredini vehementer aduerſatur. Sed quia tarde admodum operatur, optimum erit illi aliquod Medicamentum admiſcere, vt ſi materia expurganda tenuior ſit florem caſſiæ hac ratione. Rec. floris Caſſiæ nouiter extractæ vnc. 1. pulpæ Tamarindorum vnc. s. ſem: Citri contuſorum Scrup. 1. M. & cum ſaccharo f. b. Quod ſi patiens bolos aſſumere nequeat, deco-

De lenientibus.

LenientiūMateria.

decoquenda Tamarindorum ſemiuncia cum folijs Acetoſæ, ſem. Citri, Rad. Tormentillæ & flor. cord. atque in hoc deco. cto vnc. v. ſyrup. roſ. ſol. recentis diſſoluendæ. Vel ſi iſtc deſit vt propoſito euacuandi fine non fruſtremur, hęc potio præſcribatur. Rec. ſyrup. roſ. ſol. vnc. iij. Mannæ el. ctæ vnc. ij. Cum ſupradicto decocto f. p.b. Materia autem educenda craſſiori exiſtente & aduſta, vt frequẽtius in hoc affectu cõtingit, non abhorrerem à Tryphera perſica, quoniam hæc morbis omnibus ex humorũ vſtione natis in Æſtate peſtilenti, & Autũno Meſues teſtimonio confert. formula medicamenti in bolo erit hæc. Rec. Trypheræ Perſicæ, Pulpæ Tamarindorum an. drac. v. M. & cum Sacchato f. b. Pro potione Rec. Trypheræ Perſicæ vnc. s. ſyrup. roſ. ſol. Mellis roſ. ſol. an. vnc. ij. Decocti ſupradicti Tamarindorum q. s. M. fiat. p. b. Denique ſi omnes peccent humores loco Trypheræ accipiemus Diachatol. ad drac. v. vel vi. & eadem ratione, vel bolos, vel potionem concinnabimus. Verum ſi febris intenſior ſit, aut de genere Ardentium, ſi Aeger calidæ temperaturæ, Si tempus Anni, & conſtitutio calidior, nil melius Sero Caprino ſucco Citri vel Limonis, vel ſyrup. acetoſo ſimpl. depurato: id etenim, vt docuimus vno, & eodem tempore euacuat, & refrigerat: eſt præterea Medicamentum pro debilibus ſatis opportunum vnde, & puero, & ſeni, & Mulieri ſine periculo exhibetur, & in Caniculæ quoque Aeſtibus intrepide datur, quamquam tunc alia medicamenta ſint ſuſpecta. Exhibetur, vt ſuperius adnotaui, à libris tribus ad lib. v. pro virium ſtatu, admiſcendo in primo Cyatho vnc. iij. vel iiij ſyrup. roſ. ſol. vel propinetur poſt bolum ex vnc. s. Trypheræ Perſicæ, et totidẽ pulpæ Tamarindorum compoſitum. Cæterum iſta lenientia paulo poſt Venam ſectam ſunt offerenda, vnde ſi mane, vel veſperi ſecetur Vena, ſequenti die in Autora aluus lenienda, nam ſumus in morbo peracuto, qui non dat inducias. Illud propter Tyrones adnotandum, quod ſi à principio Peſtilentis febris leniens vſurpetur, et dein de Carbunculus erũpat, non oportet idem Medicamenti genus ob Carbunculum ipſum repetere dummodo reliqua non ſit materia in primis vijs illius uſum expoſtulans. Oritur ex dictis Difficultas, Tryphera Perſica, & Diachatol. inter

Serũ Caprinũ.

Quando lenientia ſint offerenda.

Dubitatio.

purgan-

purgantia à multis enumerantur, quomodo igitur hic tanquã lenientia uſurpantur? Soluitur hoc pacto: electuaria nominata habent quidem facultatem purgandi, aſt debilem, quia non conſtant ex Catharticis ualentioribus, ut eſt Collocynthis, ſcãmonium, & alia huius naturæ: unde quemadmodum Medicamenta lenientia in maiori Doſi aſſumpta euadunt purgantia, ita illa in minori propinata lenientium funguntur officio, & in ipſo morbi principio tutò poſſunt exhiberi.

Solutio.

De Alterantibus.

Iam ſi de alterantibus ſermo ſit, iſta non tantum humorum præparationẽ, uiarum apertionẽ, refrigerationem, Cordiſq; cuſtodiam, ſed quod magis eſt excellentem, & corruptiuã putredinem debent reſpicere, quæ in hoc caſu vrgentis rationẽ ſubit. Quamobrem ſi Iura alterata conficientur, quæ maxime vtilia ſunt, præter alia ſuperius allata, folia Scordij & Rutæ Caprariç, linteolo ad illius amaritudinem euitandam alligata, Radices Echij, & Pulpa Citri vel aurãtij decoquantur in Parte Pullç Iure, nec pingui nec ſa lito. Euadet huiuſmodi Ius efficacius, ſi ipſi admiſceatur ſyr. de ſcordio Doctiſs. Mercurialis cuius deſcriptionem in Studioſorum gratiam nõ grauabor ſubnectere. Rec. fol. Nympheæ, ſonchi, Borraginis, Acetoſæ, Pimpinellæ an. pug. s. flor. roſ. Borrag. Citri an. pug. s. Sem. Citri, Acetoſæ an. drac. v. fiat decoctio S. A. in aqua hordei ad tertias. Deinde Rec. dicti Decocti lib. ij. ſucci Scordij depurati lib. iij. ſacchari fini lib. iiij. Decoquantur omnia S. A. & fiat ſyrup. Addit in fine gr. x. Muſci, quæ libenter prç termitto tum ob feminas, tum etiam ob caput, & calorẽ; loco etiam aquæ hordei, quia facilè putreſcit, ſubſtituerem aquam Acetoſæ: nec non fol. lactucç, & flores aurantiorũ, aut Bugloſſæ pro folijs Nymphcæ & floribus Citri, qui multis in locis deſiderantur. Doſis iſtius ſyrup. eſt ab vnc. 1. ad vnc. ij. Et nõ ſolum dilui poterit ſupradicto Iure alterato, ſed tẽpore Hyemali aqua Scorzoneræ, Acetoſæ, Borrag. Rutæ caprariæ, Scabioſæ & ſimiliũ. Præbeantur deſcripta alterantia mane in Aurora, Veſperi tribus ante cçnam horis, nam ſumma eſt vehementia indicantis, & ideo non eſt cunctandum. Auic. laudat in hac cura aquam lactis Acetoſi ideſt ſerum lacti. Ego vero Serum Caprinum ita paratum, vt ſuperius capite 3. huius ſectionis

Syrupus de Scordio.

Serum Caprinum.

ctionis adnotaui, maximopere commendo: cui habita ratione excellentis putredinis addi poterunt Radices ſcorzoneræ, & Echij, nec nõ fol. Scordij & Mirrhidis mõ legitima habeatur. Rectam ſeri adminiſtrationem conſultò prætereo; nam ſuperius ſufficienter fuit propoſita. Reliquum eſt pro complemento iſtius partis animaduertere, quod refrigerandi indicatione maxima exiſtente aſcẽdere oportet ad aquam frigidam, ſi illa adſint requiſita, quæ ad ipſius exhibitionem ſunt neceſſaria. *Aqua frigida.*

Cæterũ quamuis propoſita Alterãtia maiori ex parte Alexipharmaci officio fungi queant, tamen vt omni conatu deleteria qualitas oppugnetur, & Cordis tonus foueatur Alexipharmaca quædam ſubnectere non grauabor, quę Doctorũ hominũ conſenſu videntur potiora. Inter hęc prima ſeſe offert Andromachi Theriaca, tum quia à Gal. ipſo mirum in modum in Peſte, & Peſtiferis affectionibus fuit celebrata, tum quia ſcriptores, qui hactenus de Carbunculo pertractarunt in ipſius curatione Theriacam ſummopere commendarunt affirmãtes in ipſo potiores Theriacę, quam Mithridaticę confectionis experientias obſeruaſſe. Scio Viros alioquin eruditiſſimos Theriacam in peſtilenti febre omnino reprobare, tanquam medicamentum ſecundo exceſſu calidum formam habens maximæ actiuitatis: rationes illorum expendere non eſt præſentis loci, id tantum dico, quod ſi Theriaca eſſet ignis, non adeo ipſius caliditatem extimeſcerẽt. Ego autem cum ſciam, illam vix ſecundum caliditatis gradum attingere, neſcio quo modo modica ipſius portio nempe drachma vna, vel media tantum calorẽ accendere queat. Eò magis quod qualitas elementaris qualis eſt caliditas, & ſimiles, cum ſit valde materialis, haud multum operatur niſi multa cum materia. Oppoſitum euenit in virtute ſpecifica, hęc enim cum ſit donum cœleſte, & quaſi ſpiritale multum operatur etiam cum parua materia. Itaque niſi febris ſit pure biliosa, & Ardens, ſed potius pituitoſa, aut ab alio frigido humore concitata non abhorrerem à Theriaca medię ętatis, & illius modo drachmam mediam, modo vnam pro maiori, aut minori pęter naturam caliditate Aegrotis darem tempore minoris afflictionis, & ad hoc vt nulla ſequatur ob caliditatem noxa, illam hoc pacto diſſoluerem. Rec. Aquę acetoſę, *De Alexipharmacis.* *Theriaca.*

Endiuiæ an. vnc. 1. s. Aceti drac. 1. s. Theriacę drac. s. M. Vel Rec. ſucci Acetoſæ depurati vnc. ij. ſucci Aurantiorum vnc. ij. Vini Granatorum vnç. s. Theriacæ electæ ſcrup. ij. M. Nec inconuenit eandem in forma boli exhibere dimidiæ ipſius drachmæ duas con ſeruæ Acetoſæ drachmas adiniſcẽdo. Quod ſi Ætas, & temperatura Aegrotantis, nec non ambientis aeris caliditas Antidoti adeo nobilis caliditatem magis retundendam ſuadeant, poſt illius aſſumptionẽ ſuperbibat æger lib. 1. aut ij. ſeri Caprini deſtillati. Alius præterea modus à Neotericis fuit excogitatus, quo Theriaca in puriſſimã redigitur aquã adeo temperatam, vt in corporibus et calidis, & ſiccis tutiſſima ſit eius adminiſtratio, & ſatis pro illis accommodata, qui bolos & alia iniucunda medicamenta aſſumere nequeunt. Vocarunt huiuſmodi Aquam Theriacalẽ, quã aliqui ſumma cum ratione ſic conficiunt.

Aqua Theriacalis.

Rec. Theriacæ optimæ, & ætatis mediæ **vnc. 1.**

Succi limonum depurati
Succi citri depurati } **an. vnc. 1.**
Aquæ aceti

Aquæ acetoſæ, vel ſeri Caprini deſtillati lib. iiij.

F. infuſio, & maceratio s. a. mox. dupplici vaſe ad Mariæ Balneũ fiat deſtillatio. Doſis ad ſummũ eſt ſeſquidrachma. Quæ pmiſceatur cũ vnc. iiij. aquæ acetoſæ, vel ſeri deſtillati.

Præter Theriacam alia inueniũtur Alexipharma, atũ ſimplicia, tum compoſita. Inter ſimplicia maximè celebratur Bolus armeniacus, Terra lemnia, Terra ſamia, Cornu Vnicornis, Cornu Cerui, & Os cordis eiuſdem, Margaritæ, Corallia, ſmaragdus, Hyacinthus, Sapphyrus, Contra herba, & lapis Bezahar, cuius poſtremi mira à nonnullis deſcribuntur, quæ tamẽ noſtris temporibus experientiæ non reſpondent, nam Aleſſander Maſſaria, Hercules Saxonia, & Ioannes Thomas Minadous Viri omnino clariſſimi, qui apud magnates in præcipuis Italiæ immo Europæ ciuitatibus Medicinam fecerunt, lapide Bezahar abſque vllo fructu multoties ſe fuiſſe vſos, apertè teſtantur. Magis ab iſtis cõprobatur Aqua ſcorzoneræ & præſertim Hiſpanicæ ad vnc. ij. vel iij. nec tamen reprobanda illa, quæ ex ſcorzonera noſtrorum Appenninorum Montium

Alexipharmaca ſimplicia.

extra-

extrahitur. Inter compoſita à recentioribus ad ſidera vſque extollitur Elect. de Hyacintho, quod Romę (vt audio) ſumma diligentia paratur, & equidem Experientia plurimum valere comperi. Datur ad drachmam vnam, & cum in actiuis ſit temperatum non indiget corrigente, vnde non ſatis aſſequi poſſum illorum mentem, qui ipſi Conſeruam de acido citri admiſcent, Ego vt ingenue fatear admiſtionibus illis minime delector, quia nullam habent vtilitatē, illaſq; libenter relinquo medicis, qui cęteris doctiores à vulgaribus videri exoptant. Verum quia Electuarium de Hyacintho non ab omnibus haberi poteſt, & præſertim à pauperibus aliud Alexipharmacum cōficiendum hac ratione. Rec. Conſ. de acred. Citri, de ſcordio an. drac. ij. ſpecierum Diamargaritonis frigidi drac. 1. M. f. boli nu. iiij. auriq; folijs inuoluantur: quorū duo mane & veſperi ante ſyrupum exhibeantur. Vel Rec. Boli armeni Terræ ſigillatæ an. drac. 1. ſem. Acetoſę Margaritarum præp. Cornu Cerui vſti an. drac. s. cum ſucco Limonum, vel Citri F. boli ponderis medię drac. quorum duo præbeantur vt ſupra. Nec damnandi ſunt pulueres alexipharmaci, nam imputreſcibiles ipſi exiſtentes prohibent putrefactionem in vicinos humores ferri: conficiuntur iſti ex radicibus Tormentillę, Dictami, ſcabioſæ, ex ſeminibus Citri, Acetoſæ ex Coralijs, Margaritis, & gēmis precioſis, vt apud Autores videre eſt, & præſertim apud Petrum Foreſtum lib. 6. ſuarum obſeruationum obſeruatione 16. in qua deſcribit puluerem, cuius ope in Delphica illā Peſtilentia plurimos ſeruauit. Verum inter alia Alexipharmaca, q̄ paucis ab hinc annis noſtrates Medici ſuo Marte confixerunt, præſtantiſſima mihi videtur Aqua Cordialis ab Excellentiſſimo Viro Hercule Saxonia Patauino, Præceptore meo Sacri Palatij Comite, & Equite Palatino, Medico, vt ſua teſtantur ſcripta ingenio, atque elegantia inſigni primum inuenta, & Patauij multis experimentis illuſtrata. Legitur ipſius deſcritio in lib. de Plica cap. 59. & eſt hæc.

Elect. de Hyacintho. *Boli Alexipharmaci.* *Pulueres Alexipharmaci.* *Aqua Cordialis Saxoniæ.*

Rec. ſucci boraginis, bugloſſæ.
Meliſſæ, biſtortæ, } *an. vnc. vi.*
Tormentillæ, verbenacæ,
Oxylapathi, acetoſæ,

Rutæ caprariæ, myrrhidis,
Cyani maioris, & minoris } *an. vnc. vi.*
Roſarum, calendulæ
Limonum, citri
Succi pimpinellæ, quã ſaxifragam vocant } *an. vnc. iij.*
Pentaphylli
Aceti Vini albi — *lib. 1. ſ.*
Sem. portulacæ, florum nymphea — *an. vnc. ij.*
Terræ lemniæ, ſileſiacæ, ſamiæ — *an. vnc. 1. ſ.*
Sem. citri — *vnc. ſ.*
Sp. trium ſantalorum — *drac. vi.*
Margaritarum cum acido citri præp. — *drac. iij.*

Infundantur ſpecies in ſuccis,& facta maceratione per tres dies in loco tepido alembico vitreo deſtillentur,& deſtillatus liquor caute in vaſe vitreo conſeruetur. Doſis ab vnc. 1. ad vnc. ij. & quandoque tres duabus, aut vna ſaltem hora ante cibi aſſumptionem.

Improbant aliqui iſtius Aquæ deſcriptionem quoniam recipit Terras,& Margaritas, quæ vires ſuas in aquam ad Mariæ Balneum deſtillatam emittere nequeunt, nam vires terreæ, & craſſæ potius in fundo,& craſſamento reſident,quã ritu aquearum migrent in aquas illas. Quibus reſponſum velim,ex duriori materia Chimica arte virtutem extrahi,quam ſint propoſitæ terræ ſuapte natura aliquo pacto oleoſæ. Sed demus iſtas terras in huiuſmodi aqua nihil efficere, tamen negari nequit, ipſam eſſe præſtantiſſimam: vtinam eſſet paratu facilior. Propter quam cauſſam non erit abſurdum aliam proponere aquã paratu quidem faciliorem, ſed maximopere ſalutaris.

Aqua Alexipharmaca.

Rec. ſucci echij, ſcabioſæ,
Rutæ caprariæ, ſonchi, } *an. lib. 1.*
Limonis, citri.
Aceti Vini albi — *lib. ſ.*

Simul permixta deſtillentur ad Mariæ Balneum. Doſis eſt ab vnc. ij. ad vnc. iij.

Alexipharmaca Carbunculo appropriata.

Præter iam allata Bezahartica,quæ nõ minus febrẽ peſtiferam quàm Carbunculum reſpiciunt, nonnulla reperiuntur, quæ à tota ſubſtantia Carbunculo potiſſimum opitulantur. In

ter

ter quæ apud noſtri Seculi Medicos primas obtinet Scabioſæ minoris ſuccus depuratus ad iiij. vel v. vnc. propinatus; huic aliqui admiſcēt Terram lemniam, vel Myrrhidem, vel Mithridaticam confectionem, quos ego nō improbo. Proponunt alij Cor Turturis recenter detractum, & deuoratum tāquam ſingulare remediū, de quo nil certi dicere habeo. Nec deſunt, q. Palmę Chriſti, & lyſimachię decoctū extollūt. Extat apud Autores maximus adhuc Alexipharmacorū numerus de quibus agere meū non eſt conſilium, cū iam ea propoſuerim, quæ mihi videntur vtiliora. Hęc à principio morbi, & frequenter oſtentantur, peſſima. n. putreſcentis materiæ qualitas, ſtatim rationem ſubit vrgentis, & morbus eſt peracutus. Tutius tamen eſt abinitio abſtinere ab illis, quæ inſignem adſtringendi facultatem obtinent, nam obſtructiones, & putredinem augent. Cętera vero non incautè ſunt eligenda, ſed illa tantum, quæ ab omnibus, vel à paucis quidem, ſed ſapientioribus fuere approbata, quod maximopere oportet animaduertere, nam multi propria miracula prædicant, quæ ſunt merę uanitates.

Alexipharmacorum rectus vſus.

Verùm non tantum intrinſecis, ſed etiam extrinſecis Alexipharmacis Cor ipſum roborare, & pernicioſam hanc luem oppugnare tentandum. Rediguntur Alexipharmaca à Gal. ad duas præcipuas Claſſes: put alia alterāt, vel manifeſtis qualitatibus, vel tota ſubſtantia; alia euacuant, vel calore, vel totius ſubſtantiæ ſimilitudine. Iſtis addi poteſt tertia claſſis illorum, quæ eodem tempore, & alterant, & euacuant. Alterantia ſecundùm manifeſtas qualitates in hoc affectu deberēt eſſe frigida, ſed cum hæc inſenſibiles meatus condenſando adſtringāt, putredinem in Corde magis impingunt, & idcirco prorſus ſunt reijcienda. Quamobrem ſi de actiuis qualitatib. ſermo ſit, temperata tantum conueniunt, ſi de paſſiuis, potius exiccātia, quę ſi à tota quoque ſubſtantia alterent, omnino ſunt efficaciora. Huiuſmodi eſt ſequens epythema, quod Recipit Aquæ Viol. Borragi. Scabioſæ, Acetoſæ. an. lib. s. ſpecierum Cord. temperatarum, vel Diamargaritonis frigidi an. vnc. s. Cor. Citri drac. 1. s. ſem. Citri drac. 1. Caphurę ſcrup. 1. Croci gr. v. Vini albi odorati vnc. iij. Aceti roſ. vnc. 1. s. M. pro Epythemate Cordis. Poſt cuius vſum ter, aut quater in die repetitum, vt nunquam

De extrinſecis Alexipharmacis.

Epythema.

Cordis

Cordis regio aliquo opportuno præſidio deſtituatur, liniatur
Linimentum. Vng.quod Recipit Olei de Cort.Citri, Viol.an.drac.iij, Vng. cord.Guainerij drac.vj.ſem. Ocymi.Caryophyllati ſcr. 1. Aceti roſ.parum M. Pro eadem intentione Sacculus cōfici poterit
Sacculus. ex floribus Viol.Bugloſſæ,Borrag.Nymphææ.Roſarum,ex Sãtalis albis,Corticibus,& ſeminibus Citri,Radicibus Tormentillæ,Caphura,& ſpeciebus cord.temperatis. Euacuat calore,
De Arſenico exterius geſtato. & totius ſubſtātiæ ſimilitudine Arſenicū ſiniſtræ pectoris parti appoſitum,quod & in præſeruatione,& in curatione Peſtilẽtium affectionum à multis laudatum inuenio, & præſertim ab excellentiſſimo Capiuaccio. Narrat tamen Hercules Saxonia lib.de Plica cap.52.in peſtilẽtia Patauina anni 1576.ipſum Capiuacciū huiuſmodi præſidij genus multis propoſuiſſe, & adhibuiſſe,quod tamẽ nihil egregium præſtarit. Nec mirum, nã Autore Gal. 5. Simplicium cap.18.Alexiteria iſta,quæ trahũt calore,& totius ſubſtantiæ ſimilitudine media ſint oportet corporis videl.quod curatur,& veneni lædentis.Nam ſi aduerſiſſima forent corpori,in ipſum agerẽt potius ceu deleteria, haud euacuarent Venenum.Iſtis igitur prætermiſſis illa adhibenda, quæ vno,& eodem tempore alterant,& euacuant;alterant quidem à tota ſubſtantia,euacuant calore, & totius ſubſtantiæ ſimilitudine. Talia exiſtimo Oleum Mattheoli, & Magni Ducis
Oleũ Mattheoli, & Magni Ducis. Etruriæ quod, vt accepi,fit ex deſtillata Theriaca,& folijs Hypericonis. His oleis moderatè calidis non tãtum Cordis regio, ſed Arteriæ magis apparentes quater in die naturali inungantur.Quod ſi intenſus feruor ipſorũ vſum interdicat.Rec. Theriacæ,Mitridaticæ Confect. an.drac. 1. Olei viol.Vng.roſ.an.
Amuleta. vnc.s.Succi Citri drac.vj.M. Sed de his ſatis. Reſtat,vt de Amuletis aliquid proferamus, & præcipuè de ſapphyro, quem tantopere extollit Albertus, vt vnius ſapphyri geſtatione multos Carbones ſe vidiſſe curatos profiteatur. Verũ huiuſmodi Amuletorum vſum illis lubens derelinquens, qui eorum vim adeo admirabilem per experientiam cognouere, huic Capiti finem impono.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

De Topicis Vlceri, & Inflammationi Peſtilentis Carbunculi conuenientibus.

LVdouicus Mercatus Medicus inter Hiſpanos Inſignis quamuis in cæteris prolixus lib. 7. de febribus cap. primo pauciſſimis verbis Peſtilentis Anthracis curationem abſoluit; verba ſunt hæc. Carbunculoſis tumoribus (ni opus fuerit ſcarificare) poſt ſãguinis detractionem ſolum adhibebis ſcabioſam contuſam cum Butyro, quippe ijs ſolum mirum in modum ſe paratur id totum, quod exuſtum, putridumue fuerit. Hæc ille, quæ procul dubio mihi perſuaſiſſent Carbũculos in Hiſpania mitiſſimum eſſe morbi genus, ni legiſſem apud doctiſſimũ Valeſium 7. Quidem contex. 39. minores quoque Carbunculos ſolere venenoſa ſymptomata inferre, & citę mortis periculũ. Neſcio igitur qua ratione tam ingens malum, tã leui remedio curari poſſe profiteatur Mercatus ſcabioſa tantopere fiſus, nam Butyrum potius putredinem, & inflammationem auget. Magis tamen reprehẽſione dignus videtur Nicolaus Florentinus, cum affirmet Cynogloſſam inter duos lapides tuſam tribus horis Anthracem Peſtilẽtem occidere, etenim cum Planta ſit frigida, & ſicca, qua ratione id efficere poſſit, prorſus ignoro. Melius illi qui Conſolidam in hoc caſu extollunt, quã multi Herbam Venti appellant, multi vero Vincetoxicum, quibus adhæreo, nam cum calefaciat, & exiccet omniaq; venena oppugnet, manifeſtis, & occultis qualitatibus prodeſſe poteſt. Sed, vt ingenue fatear, neque huic admodum fiderem: neque Lyſimachiæ tantopere à Ruellio, & Montuo celebratę, nam in morbo magno, magna requirũtur remedia. Hæc in præſentia breuiter proponam, quia multa de Maligni Carbunculi localibus enunciata, huc transferri nequeunt.

De Scabioſa. *De Cynogloſſa.* *De Vincetoxico.* *De lyſimachia.*

Ad Vlcus igitur quod attinet, in hoc etiam conuenit ſemper Scarificatio, immo Circinatio ipſa tanquam præſidium ma- *Pro vlcere laudatur Scarifica tio, & circinatio.*

gis generoſum: conuenit etiam fotus cum aqua ſalita, vel cum iſto decocto; quod Recipit florum Camęmeli vnc.iij. ſpicę Celticę vnc.i. Maioranę vnc.ij. B. in aqua, & Cum Spongia fiat fotus. In quibus omnibus adminiſtrãdis ad unguem illa exequantur, quæ ſuperius docuimus copiosè. Contendunt aliqui ante, & poſt ſcarificationem Cucurbitulam prius, deinde tres hirudines debere apponi. Quod mihi quoque non diſplicet, dummodo fluxio tardè moueatur, quod ex paruitate tumoris dignoſcitur, inflammatio mitior ſit; & Carbunculus Artus, & Mẽbra minus principalia occupet. Si enim indifferenter Cucurbitulę applicentur, inflammatio nonnunquam ad tantam perueniet molem, vt poſtea vix inflammata pars à corruptione vindicetur. Pręſtat itaque, dum iſtius rei adeſt ſuſpicio à ſcarificatiõne, vel circinatione Hirudines admouere, lege iam pręſcripta ſeruata. Et quia omni induſtria viroſa illa materia ad ſuperficiem eſt attrahenda, conſulunt non cõtemnendi ſcriptores, vt accipiatur Gallus Gallinaceus Iuuenis, qui adhuc non coierit, & illius anus depilctur, qui Gallus applicetur deinde cũ ano ſupra Vlcus, & ibi per mediã horã detineatur; ad idem valẽt Gallinę, ſed prima mortua, ſecunda apponatur, & tertia, donec uirus omne fuerit extractum: ſignũ iſtius rei eſt, quod Pullus impoſitus ſuperſtes manet. Alij non anum propoſitarum auium, ſed eaſdem viuas per medium diſſectas imponere cõſueuerũt. Quod pręſidij genus Recentiores a Dioſcoride accepiſſe credo, hic.n. lib.6. cap.40. agens de cõmuni curatione omnium ictuum virulentorum mandat, vt diſſecti viui Gallinarum pulli nulla intermiſſa mora percuſſo loco applicẽtur, ita.n. Animãtis admoti calore adiutus ſpiritus contra venenum irruens, & è corpore exiliens ſecum venenum exigit, quod quidem accidit propter caliditatem, non propter occultam proprietatẽ. Quę caliditas cum non ſit adeo potens, & mala qualitas reſideat in materia craſſiori, nõ video, quomodo ipſa penitus poſſit debellare: & idcirco quemadmodum iſtorũ animalium appoſitionem non reprobo, ita magis generoſa, & tuta remedia ad vſum fore reuocanda firmiter aſſero.

Quę ex tertia, vel quarta Claſſi hauriri debent, cœteris tanquam leuioribus prętermiſſis. Laudatur ergo Capitellum ipſum,

Cucurbitulæ.

Hirudines.

Galli applicatio.

Remedia pro vincere peſtilentis Carbunculi ex tertia, vel Quarta Claſſi hauriri debent.

ſum, Vng. Egyptiacum Ioãnis de Vico, Oleum de Chalcãtho, flãmula Iouis contuſa, Ranunculus, et alia huius ordinis, potiſſimum vero Arſenicũ ipſum Criſtallinum ſublimatum, quod præſentaneum, & abſolutiſſimum eſt remediũ, nã confeſtim malum ſiſtit ſine magno dolore. Conuenit poſt iã deſcripta, vel purũ in puluerem redactũ in pauca quantitate, vel Vino diſſolutũ, & filamentis, vel Goſſypio exceptum, qui ſecundus modus tutior iudicatur, ſed filamenta tũ inter viuam, & corruptã partẽ, tum in medio vlceris applicanda. Cauendæ sũt partes principibus propinquæ, & præſertim Cordi, cui deleteria Arſenici qualitas plurimũ obeſt, eò magis quod ipſius actio aliquando non vnico die abſoluitur: & idcirco partes vlceri circumiacentes emplaſtro aliquo modicè refrigerante ſunt contegendæ. Quod ſi prædictorũ copia deſit, in agreſtibus hominibus Calx quoque in puluerẽ redacta imponatur: Nam ſi ad robuſtas Oris putrefactiones. 6. de Medicamentis localibus à Gal. probatur, multo magis in hoc caſu probari debet, in quo deglutitionis impediendæ nullum adeſt periculum. Eligitur recens, nec aſperſa aquis: vrit, diſcutit, extrahit, incipienteſq; ſerpere vlcerum impetus coercet.

Arſenicum probatur.

Calx viua.

Verũ, vt liberè loquar, Peſtilentis iſtius vlceris propria, & germana curatio eſt ipſa inuſtio, protinus, & nulla interpoſita mora adminiſtrata, etſi opus ſit repetita: ita enim venefica qualitas intus latens extinguitur, quod nullo efficaciore, & magis præſentaneo remedio fieri poteſt, nam præter alia iuuamenta bonã ẽt qualitatem in mẽbro relinquit. Damnãt nihilominus quidã tã generoſum præſidiũ, quia inducta poſt inuſtionem eſchara viroſæ ſaniei tranſitũ impedit, maximo ægrotantis detrimento, ſed iſti ignorant ferramentum ignitũ calore ſuo vehementiſſimo viroſam qualitatẽ abſumere, & vlceris quoque orificiũ ampliare, vnde per ipſum facilius excrementitia materia poſtea expurgatur, nec eſchara impedit, nam citò remouetur. Quod vt facilius eueniat, fortiora ſunt vſurpanda remedia, vt Chalcanthũ vſtum cũ Melle: vel Porri folia cũ ſale: vel Emplaſtrũ ex radice Cyclaminis, ari, ſerpentariæ, Enulæ, & Butyro: vel mediocria ſuperius propoſita: immo ſi pertinacius adhæreat paulatim forcipibus aut

Ferrum candẽs

De Eſcharæ remotione.

Q ſcalpello

ſcalpello excidetur. Remota eſchara Detergentia primum, deinde ſarcotica, tandem Epulotica cónueniunt, de quibus oĩbus cum abũdè tractauerimus, quemadmodum ẽt de recta inuſtionis adminiſtratione, iterum agere omnino eſſet ſuperuacaneum. Illud nullo pacto ommittere volo, Vlcus iſtud diutius apertum ſeruari debere, nempe ad quadraginta dies, & præſertim tempore Peſtis, quo frequenter Carbunculi in Emuntorijs erumpunt: obſeruatũ eſt enim a pluribus, vlceribus iſtis cito conſolidatis, Aegros eodem morbi genere fuiſſe correptos, & paucis diebus interijſſe. Perſeuerandum itaque diu in abſtergentium vſu, quibus tantillum ſcordij addere non erit incongruum: etſi hæc non ſufficiant Præcipitati præparati puluis adhibeatur, quoniam hic Vlceri glutinationem prohibet, & materiam corruptam à Centro ad circumferentiam trahit, ad quæ duo præſtanda nullum in toto Chirurgię campo efficacius reperitur medicamentum. Hæc de Vlcere.

Vlcus diutius apertum ſeruari debet.

Præcipitatum.

De cura Inflãmationis.

Supereſt, vt pro complemento iſtius curationis de circumſtante inflammatione ſermo habeatur, cuius inflammationis efficiens cauſſa cum ſit ſanguis atrabilaris ita vitiatus, vt in proxima ad putredinem ſit diſpoſitione, quæ eſt in cauſſa, vt ni citò prouideatur, pars inflammata breui temporis ſpacio corrumpatur. Hinc eſt, quod ſcarificationes, & inuſtiones, dum materia ita exuberat, vt pars ad maximam eleuetur inflammationem, multo magis in Peſtilentis, quam maligni Anthracis inflammatione vſurpari debent ſeruatis ſeruandis.

Scarificationes Inuſtiones.

De reliquis iam dicendum à reprimentibus exordio ſumpto: etenim intercipientium doctrina iã propoſita tota huc transferri poteſt. Conſulunt probatiſſimi ſcriptores in Carbunculi Peſtilentis inflammatione nullo pacto repercutientĩbus vtendum, ne Venenum intra corpus regurgitet. Alij ex aduerſo iſta admittunt ad materiæ fluentis impetum retrenandũ, verentes ne reſoluentia ſua caliditate magis fluxionẽ irritent, & hac ratione ita tumorem adaugeant, vt poſtea particula affecta facili negotio computreſcat. In hac Opinionũ contrarietate cõcilianda diſtinctione opus eſt, quæ diſtinctio ex mo-

An Reprimentia conueniant.

Propoſita quæſtionis reſolutio.

ex motu,& qualitate materię dependet:mouetur enim celeriter vel tardè: admodum feruida eſt,vel tepidior. Dico igitur qđ ſi materia tardè mouetur, reſoluentia tantũ conueniunt, quibus attrahendi quoque vires inſint, eò magis ſi tepidior eſt. Verum ſi moueatur celeriter, & maximum feruorem habeat adiunctum, reprimentia leuia requiruntur reſoluētibus permixta; cupimus enim fluxionem quadantenus retardare, non impedire. Vtrunque præſtat efficaciter Emplaſtrum de Arnogloſſa Gal. in Vino paratũ, cuius libræ, ſi drachmæ duę olei Mattheoli, vel Viperini, vel alterius conſimilis addantur, & Vnciæ duæ ſucci ſcabioſæ, me iudice, erit efficacius.

Reſoluentia, vel debilia ſunt, vel valida, vel medio modo ſe habent. Primi generis eſt ſequens Emplaſt. quod Recipit ſucci ſcordij. Verbaſci, Vincetoxici, ſcabioſæ, Rutæ Capra-riæ, Malorum Granatorum an. vnc. 1. s. Trho. Viperinorum drac. ij. Oximell. s. vnc. ij. farinæ hordei q.s. ad inſpiſſandũ. Aliud paratu facilius. Rec. Pulpæ Paſſularum orient. in aceto mulſo decoctarum lib. s. farinæ Hordei Vnc. iij. Theriacæ electæ Vnc. s. ſalis nitri drac. iij. Cum decocto ſcordij, & ſcabioſæ fiat Emplaſtrum. Medicamentum validũ eſt hoc, Accipiatur Cepa, deinde perforeť, & repleatur ſcordio, Ruta, Theriaca, ſcabioſa, atque paſta obturetur foramen, poſtea decoquatur ſub cineribus & decocta cōtundatur, admixtoq; modico oleo Viperino fiat emplaſtrũ. Aliud Rec. Caricas pingues nu. x. alliorum nucleos x. Piperis drac. 1. Nucleorum Auellanarum vnc. 1. s. Caricę, & allia decoquantur in aceto mulſo, deinde vna cum Auellanarum nucleis antiquis contundantur, & Pipere ſubtiliſſimè puluerizzato ſuperaddito cũ eodē Aceto fiat emplaſtrum, quod facile paratu eſt, & efficaciſſimũ. Aliud paratu facilius: Accipiantur caricę, iisq; in aceto decoctis Columbinũ ſtercus admiſceatur. Huc ſpectat Emplaſt. ex alijs Aetij. Inter iſta medio mō ſe habet Emplaſt. ex quinque farinis, qđ ita conficitur. Rec. farinæ fabarum, Orobi, Ciceris, lupinorum, Hordei an. partes æquales; lixiuij, Oximellis ſimpl. an q.ſ. M.f. Emplaſt. cui adde Theriacę, aut Mithridaticę confectionis Vnc. s. pro qualibet Emplaſt. lib. Rectus deſcriptorum Medicamentorũ vſus in hoc conſiſtit, vt valida

De reſoluentibus

Reſoluēs debile

Validum.

Mediocre.

Rectus Reſoluētium vſus.

tunc applicentur quando materia non admodum calida pigrè mouetur: debilia è conuerſo: mediocria, dum res medio modo ſe habet. Materia verò iam confluxa in Augumento. ſci. & ſtatu Inflammationis ſi copioſa ſit & craſſa, reſoluens fortius expoſtulat, ſin minus debile, aut mediocre, quæ omnia à perito Medico facilè diſtingui poterunt hac conſideratione habita, vt modicè reprimentia reſoluentibus permixta in principio tantum, ſi ſupradictæ indicationes adſint, adhibeat, cæteris autem temporibus ſemper reſoluentia. Quid in Declinatione ſit agendum non repetemus, ne fiuſtra eadem ſæpius inculcare videamur. Cæterum ad particularium Carbunculorum curationem properantes monemus Medicos, & Chirurgos, vt in Carbone peſtifero tractãdo ſint admodũ cauti, & prudẽtes, ne Contagij vitio eodẽ morbi genere corripiãtur.

CAPVT NONVM.

Qua ratione Carbunculi Palpebrarum, Oculorum, Pudendorum, & linguæ curari debeant.

Cur de curatione particulariũ Carbunculorũ agendum.

CARBVNCVLORVM Curatione in vniuerſum abſoluta, non erit ab re ad particularem hoc loco deſcendere, contemplatiq; qua ratione Palpebrarum, Oculorum, Pudendorum, & linguæ Carbones à Perito Medico ſint tractandi. Horum etenim omnium curatio à propoſita propter partium affectarum naturam aliquantulum in illis, quæ extrinſecus patientibus particulis apponuntur, euariatur. Nam ad ſanguinis miſſionem, purgationem, medicamenta alterantia & cætera omnia quod attinet, eadem, quę cæteris Carbunculis, iſtis quoque conueniunt.

De Carbunculis Palpebrarũ.

A Palpebrarum igitur curatione exorſi, ne quis in dignorione ipſa periclitetur, monemus illorum plerunque cruſtam ad albedinem in principio declinare, eo quod partes illæ naturaliter exãgues ſunt, ſi vero durauerint, neceſſario locus nigreſcit: adeſt itaque vlcus cum cruſta, adeſt etiam inflammatio non ſe-

cus

cus,ac in alijs conſpicitur quæ talis eſt,vt patientes oculum ſibi peruri putent; tumorem verò,& eminentiam non ſtatim inducunt,quod deceptionis aliquando eſt in cauſſa.De albo cruſtæ colore loquutus eſt Aetius ſermone 7.cap.30.& nos idem propria experientia obſeruauimus.Vbi ergo de morbi natura certi ęrimus, maxima vti diligentia oportet ad corruptionem inhibendam,quæ propter partium tenuitatem,& natiui caloris paupertatem facili negotio, tum per palpebras ipſas, tum per uicina loca debacchatur: eo magis quia Carbunculi membranas,neruosq́; occupātes diutius remanent,luemq́; ſubiectis corporibus impartiunt.Hinc Palpebrarũ amiſſio,vel euerſio,turpiſſima viſu res,tunc pręcipuè eueniens, cum palpebra inferior afficitur.Nec tantum euerſionis huius periculum imminet,ſed ſi putredo diutius protrahatur,oculus lęditur,& inde cõmunicata Cerebro putredine , Æger de medio tollitur: Sæpe etiam oculus vlceratur,& extra propriam ſedem egreditur.Remedia quæ ad iſta præcauenda mala cõducunt ſunt hęc Primum ſi Carbunculus exteriores inſideat partes,vlcus ſcarificandum,& Spongia Balauſtiorum,& ſcabioſę tepidiori decocto imbuta abluendum:deinde conſiderandum, an ferramenta candentia,an alterius generis medicamenta ad vſum ſint reuocanda.Aetius loco citato hęc ſcripſit Oportet.n.pro corporis curãdi ratione ẽt materias eligere maximè medias: Valde.n.efficacia pharmaca loci nõ ſubſtinẽt,qualis eſt ęrugo,& ſimilia:per mordacitatẽ.n.ẽt ſi ſalutis ſpem habeat oculus hac quoque priuatur,quia neruoſæ partes,& pręſertim carnibus denudatę à vehementer mordacibus lęduntur,vt etiam cariem inducant.Accedit,quod iſtis Carbunculo obſeſſis inflammationes Eryſipelatis naturã referentes multoties excitantur.Quæ ſi vera ſunt,clarè demonſtrant ignitum ferramentum minime conuenire,ſi.n. loci iſti vim ęruginis non ſuſtinent,quo pacto vim Ignis ſuſtinebunt? Huius rei cauſſa,quamuis ab Aetio reticeatur, talis me Iudice ſtatuẽda:Oculi exquiſitiſſimo cõſtãt ſenſu,ita vt ne guttam quidem aquæ abſque moleſtia perferre poſſint,cum ergo uim ignis perſentiunt, inflammantur,& dolent:hinc fluxio augetur,& ex conſequenti putredo ob tantam materiæ copiam trãſpiratione impedita.Addo,quod partes

Mala, quæ Carbunculos iſtos conſequuntur.

Curatio.

tes

tes illæ natura tenuiores,quamuis à morbo tumefiant,nihilo-minus vim ignis in profundioribus etiam locis frequenter recipiunt,ita vt fibris conſumptis Palpebrarum euerſio poſt curationem remaneat.Experienda igitur prius medicamenta,& illa quidem non adeo debilia,vt innuit Aetius,ſed mediocria, quod ſi res ex voto non ſuccedat ad Ignem ipſum recurrendũ, quia tandem vita totius,oculorum, & Palpebrarum integritati debet præferri. Pharmacum maximè accõmodatum eſt Andronius paſtillus Succo Plantaginis exceptus , quo deficiente Vng.Egyptiacum Meſue applicãdum, ſed maxima cura eſt habenda , ne circumiacentes vlceris partes à Medicamentis iſtis labefactentur. Idcirco Oleum de Sulphure præſtãtiſſimũ eſt,vel purum,vel ad retundendam illius caliditatem modica plantaginis,aut Roſarum aqua dilutum. Vlcere firmato, quæ ad Eſcharam remouendam,Sordes abſtergendas,carnem procreandam,& cicatricem inducendam ſupra cap.quinto attulimus ,ſunt opportuna.Id tantum animaduerto,diutius abſtergentibus vtendum , nam copioſa ſanies ex iſtis partibus ſolet effluere,quæ cum acrior ſit ſpongia quoque detergere oportet,& ne oculum lędat ipſum moderatè perfundere , roſarum aut rubi,aut pampinorum vitis tepidiori decocto: aut ſero caprino calybeato. Quibus ſi vlcus ſordidius ſit, & magis depaſcat,Myrthi folia,acaciã , & Malicorium addere oportet.Vbi pura facta ſunt vlcera , fomento prę miſſo ſpecilli nucleum lacte tingere,& palpebris ſubmittere,atque angulos inter ſe diſparare vtile eſt , ne diſtorta concretio fiat. Et ob hoc neque oculum deligare oportet maximè poſt vlcerum purgationem, vt optime conſulit Aetius.Remanet adhuc aliud circa vlceris curationem perpendendum,ſolere etenim vlcus aliquando ad internas palpebrarũ partes vlcus pertinere,in quo caſu eo mitius agendum,quia cõriguus oculo morbus eſt. Mihi rebus ſic ſtantibus nõ diſplicet Apolloni j remedium ita paratum. Rec. Spodij drac.iiij.Lapidis Sciſſilis drac.ij.Croci obolos iij. Myrrhæ paullulum torrefactæ obolos iij.Tenuiſſime terito & paſſi cretici, aut alterius non acris heminam admiſce , & ſpecilli nucleo ſubline. diſparat.n.cruſtas,et vlcera purgat. Interim dũ vlceri medemur , de circumſtante inflammatione debemus eſ-

Medicamenta pro vlcere.

Quid agendũ dũ vlcus ad interiores palpebrarum partes pertinet.

Inflamationis Palpebrarũ cura.

ſe

ſe ſolliciti, illa à principio apponendo, quæ non tantum refrigerare, & ſiccare, ſed moderatè diſcutere valeant, ſecus namque extrinſeca inflammatio ſedatur, ſed materia intro recurrens oculos lędit, quod ſolano cũ paſſo adhibito aliquando cõtigiſſe teſtatur Aetius, inquiens Tumorem quidem fuiſſe abolitum, oculum autem repletum. Quamobrem in principio huiuſmodi emplaſt. eſt opportunum; quod Recipit Micæ panis, lentium an. partes ęquales. Decoquantur, & per cribrum trãſmittantur, deinde ſubigantur ſucco Plantag. & ſcabioſę Tran ſacto principio, ſi vlcus depaſcat Malicorium optimum eſt in vino decoctum; vel ſolum: vel ſi reſoluere magis ſit in animo cũ tertia farinę Orobi parte, & modico Oximellite. Poſtea Cataplaſmata pro Augumẽto Carbunculi maligni propoſita vſurpanda, & præſertim illud, quod ex ſcabioſa componitur, nam validiora morbum propter allatam rationem mirum in modũ exacerbant. In vſu propoſitorũ Cataplaſmatum cauendum, vt leniſſima ſint, ſępius admota, & leuiſſimis linteis detenta, nam ſecus pars magis inflammatur. Neque in illorum vſu longius perſeuerandum, ſed vbi inflammatio fuerit remiſſa, ea remouere præſtabit quoniam ſi diutius partes illæ grauentur, propter eximium ſenſum læduntur, & incaleſcunt, vnde poſtea putredo magis, magiſque augetur.

De Oculorum Carbunculis pauca ſunt dicenda, quia morbus rarus eſt, vnde ab alio quod ego viderim non proponitur, quam ab Aetio loco proximè citato, & multo accuratius ab Oribaſio, & Celſo li. 6. c. 6. hac dictione; Solent etiã Carbunculi ex inflammatione naſci nonnunquam in ipſis oculis, aliquando in palpebris, & in his ipſis oculis modo ab interiore, modo ab exteriore. In hoc caſu aluus ducenda eſt, cibus minuendus, lac potui dandum, vt acria, quæ læſerunt, leniantur. Quod ad Cataplaſmata, & medicamenta pertinet his vtendum, quę aduerſus inflammationes propoſita ſunt. Atque hic quoque Nylei collyrium optimum eſt. Ex quibus verbis elicio Carbunculos in Oculis frequenter fieri, quando ipſorum inflammationes malè curantur, quod potiſſimum euenit, quãdo acriora inſtillantur medicamenta, tunc. n. materiã aduritur, & fit Carbũculus, quia à principio ſanguis atrabilaris per tunicas, & venu *De Carbũculis oculorum.*

las

las oculi vix permeare poteſt. Tota præſentis affectus curationis ſumma in medicamentis totum corpus euacuantibus, & ſanguinem refrigerantibus, atque conuenienti victus regimine ſita eſt, de quibus alibi diximus, nunc tantum animaduertimus loco lactis magis conuenire ſerum caprinum. Nam ad localia quod attinet Oculus, neque ignem, neque Eſcharotica vllo pacto admittit, ſed tantum lenia, quæ leuiter abſtergant, & exiccent, modice refrigerent, aliquo pacto reſoluant, & ingentiſſimum dolorem demulceant. Ad quæ reſpiciens Celſus Nylei collyriū laudat, quod habet Nardi indici, papaueris lachrymæ ſingulorum P. i. ideſt partem vnam, gummi P. i. Croci P. ij. fol. roſæ recentium P. iiij. quæ vel aqua pluuiali, vel vino nigro ſubauſtero coguntur. Vſus tempore cum Oui aquato infundatur. Probari etiam poteſt ſequens collyrium: quod. Recipit Mucaginis, ſem. pſillij, ſem. Cydoniorum, liquoris tenuis Oui drac. vj. Caphuræ gr. viij. Croci gr. iiij Admiſtis omnibus vtere: & ſi dolor grauius affligat quatuor Opij Thebaici grana admiſceto. Iuuat etiā ex Oribaſio lacte oculos perluere. Inflammationis feruore remiſſo fęnugreci, hordei, & ſcabioſę decocto oculus fouendus: deinde vlcus abſtergendum luteis ouorū toſtis leuigatisq; cum Melle, et croco. Tādem ad ſarcotica collyria deueniendum, quæ ex metallicis conficiuntur; tale eſt Sief de plumbo Raſis, & illa quę ex Tuthia parantur. Catapla ſma vero ad refrigerandum, & dolorem acerbiſſimum demulcē dum, ita conficerem. Rec. farinæ cap. papaueris, & Meliloti an. pug. i. pulu. roſ. pug. s. panis albiſſimi vnc. ij. fiat decoctio in lacte muliebri, vel caprino miſtis pulueribus in fine decoctionis: deinde transferantur omnia in mortarium, & ſubigantur cum Ouo integro, & Croci ſcrupulo. Si vlcera ſerpant, lenticula cū Melle, vel mala cydonia cocta ſuperdanda: ſi latius depaſcendo ſerpant, malicorium in vino decoctum leuigatūq; illinendum. Præmonendi autem ſunt aſſidentes de patientis oculi cęcitate, quæ, vt reor, euitari nequit: immo tam ſæua eſt huiuſmodi affectio, vt periculum immineat, ne cerebro mēbranisq; illius inflammatis mors ſubſequatur.

De Carbunculis Colis. Ad Colis Carbunculos accedo, circa quos lubet obiter adnotare Philonis dictum in principio lib. de Circūciſione, vbi

reddit

reddit quatuor præcipuas Circumciſionis cauſſas: primā quarum aſſerit eſſe, vt caueatur morbus curatu difficilis, quem vocant Carbunculum, hic enim præputiatis facilius innaſcitur. Ex quibus colligo antiquis temporibus Anthraces in iſta parte fuiſſe frequentiores; in cuius rei confirmationem tertio, in tertium Epide. dixit Hipp. Et in pudendis Carbunculi multi per Aeſtatem. In horum curatione Aetij conſilium, ſermone 14. cap. 18. expreſſum probare nequeo, nam tria ibi proponit medicamenta, quorum primum, & tertium exiccat quidem, ſed non tantum, vt vlceris cruſtoſi putredinem euincat: ſecundum autem ex adipe caprino, & Vuis paſſis conflatum ſuppuransest, quo nil deterius in hoc caſu excogitari poteſt. Marcellus verò Empiricus purpuram, vel muricum in Carbonibus vſtatum cinerem cum melle permixtum Carbunculos de veretis exterminare aſſerit. Melius Celſus lib. 6. cap. 18. vbi conſulit, vt Chalcitis cum Melle, aut Aerugo cum cocto Melle inſpergatur. Chalcitidis loco, Vitriolum romanum ſubſtituere licet, quod putredinem illam facilius ſuperabit, ſi prius aduratur. Sed, vt dicam quod ſentio, nullum igne actuali præſtantius remedium: ſunt quippe pudenda partes ſuapte natura ad putreſcendum admodum procliues, vnde in illa conſtitutione peſtilenti tertio in tertium Epid. tex. com. 26. notauit Hipp. pudenda magis quam alias partes à ſæua putredine fuiſſe labefactatas. Vnde Galenus in commentario hæc habet. Etiam abſque peſtilente ſtatu, vbi has regiones inflammatio obſederit, vel ſacer Ignis, leuiſſimè putreſcunt, vnaq; partes ſuperiores afficiunt. Quare nobis ſæpe eſt neceſſe, vt putrida præciderimus, locum veluti radicem inurere. Si itaque pudenda Eryſipelate laborantia, morbo à putredine, niſi peſtilens ſit ſtatus, minime concitato, adeo computreſcunt, vt præciſio, & inuſtio ſit neceſſaria, quid dicemus de Anthrace morbo oīno cacoethe, eò magis dum peſtilens viget conſtitutio? Conſtat igitur ſcarificatione facta Vlcus ſtatim fore inurendum, dico ſtatim, quia ſi differatur periculum eſt, ne totum membrum, necnon partes etiā proxime corrumpantur. ſi quis verò adeo meticuloſus ſit, vt Ignem recuſet, oleum de Calcātho poterit ſubſtitui hac habita cautione, vt ni malum ſiſtat, nulla intermiſſa

Curatio.

Celis Carbunculi inuſtione curandi.

moralocus aduratur. Prætermitto Medicamenta Eſcharam auferentia,& ália omnia: de Cicatricem inducentibus tantum pauca dicam,à Gal. excerpta 5. Meth. vltimo. Partes hæ cum carne ſint ſicciores, medicamenta cicatrizzantia ſicciora quã vlcera,quę in carne ſunt requirunt,ſicut Anethum vſtum,Cucurbita ſicca atque vſta; In corporibus verò humidioribus, & in Vlceribus, quæ ſine Madore ſunt pompholix efficax eſt. Cataplaſmata Inflammationi conferentia illa eadem ſunt,quę Palpebrarum inflammationi conuenire diximus, nec non Emplaſt. ex granatis Pauli,quo dum Vlcus circumiacentes partes corrodit vti maximè expediet.

De Carbunculis vuluę. Eadem curatio Carbunculis Vuluæ accommodari poteſt, non prætermiſſo lupinorum decocto ad illorum ſaniem eluendam. Nam quod inquit Plinius,Cancrum feminam cum ſalis flore contuſo poſt plenam Lunam, & ex aqua illitam Carbunculos hos pręſentiſſimo remedio ſanare,vix adducor,vt credã.

De Carbunculis ſub lingua. Anthracis ſub lingua ex Antiquis Plinius, ex recentioribus Gulielmus tantum Placentinus meminere, qui nihil de curatione ſcripſerunt. Ego in iſta parte Carbonem nunquam curaui,atqui ſi occaſio feret,curarem oleo de ſulphure, vel Calcantho: & collutionibus primum ex Plantagine lentibus, & folijs liguſtri: deinde ex folijs ſcabioſæ, Cupreſſi Rutæ & Paſſularum, non prætermiſſis vniuerſalibus. Eadem Methodo, ſi mihi occurreret, curarem Carbunculum ad partes alias oris internas pertinentem,& præſertim ad labia,qui ſi Peſtilens ſit maximum Contagium habet adiunctum, vt teſtatur Foreſtus lib. 6. ſuarum Obſer. Obſer. 12. Reliquum eſt, vt ad capitis huius perfectionem animaduertam, me prædictos Carbunculos tanquam non peſtilentes conſideraſſe: ſi enim peſtilentes extiterint, quod rarius contingit,illa addenda ſunt, quæ excellenti putredini aduerſantur, vt ſunt Troch. Viperini, Theriaca, ſcordium, Vincetoxicum, & alia huius cenſus.

CAPVT DECIMVM.

De Symptomatibus cuiuſcunq; Speciei Carbunculos concomitantibus auferendis.

INcaſſum equidem præſentem inſumpſiſſemus laborem, ſi Carbunculorum curatione, tum in vniuerſum, tum ſpeciatim abſoluta de ſymptomatibus illos conſequentibus nihil afferremus in medium, hæc enim & plura, & frequenter lethalia exiſtere ſolent. Appellatione ſymptomatis nunc audiri volumus quemcunque affectum ad ſe trahentem curationē. In quo ſenſu duæ ſymptomatum ſpecies in præſentia conſtituuntur, quarū altera morbi obtinet rationem, altera nequaq̄. *Cur de Symptomatibus agendum.*

Sub prima ſpecie continetur febris, quæ aliquando in ſpiritibus tantum, aliquando in humoribus accenditur, & hoc trifariam contingit, vel enim putreſcunt ſecundum quid, vel ſimpliciter, vel medio modo. Quarum putredinum prima putridas benignas efficit, altera peſtilentes, tertia malignas, quæ omnes proprijs ſignis à Medicis dignoſcuntur. Si febris Ephemera ſit, inflammatione ablata aboletur, eo magis refrigerantibus intrinſecus ſumptis. Si putrida, & illa quidem benigna, & Venæ ſectione, & lenitiuè educentium exhibitione, & alterantium, purgātiumq; oblatione curatur, dummodo cum alterantibus attenuantia permiſceantur, habita in omnibus ratione tum ſpeciei febris, tum complexionis, ætatis, & aliorū, quæ in doct. de febrib⁹ habētur. Si Putrida Maligna, eadē ferè conueniūt remedia de q̄bus in cura maligni Carbūculi fuimus loquuti. Demū ſi Putrida Peſtilēs iiſdē tollitur auxilijs, q̄ in Peſtilēti Carbūculo exhibēda p̄cepim⁹, nō p̄termiſſis ijs, q̄ particularē febris Ideā reſpiciūt. Quamobrē ne tractatio hęc in īmē ſum excreſcat, nūc pauca hæc de febribus memoraſſe ſufficiat. *Febris.*

Sub ſecunda ſymptomatum ſpecie, quę morbi neutiquam ſunt, plurima continentur ad actiones læſas, & ad Exeuntia mutata attinentia. Ad actiones læſas refertur Delirium, Somnus *Delirium.*

ꝓfundus, Dolor immodicus, Cordis palpitatio, Lipothymia, Syncope, & Nauſea, De quibus oībus, poſt q̃ tractauerimus, cætera ordine proſequemur. Deliriū principū facultatum deprauatio eſt, imaginatricis ſcilicet, & Ratiocinatricis, vel ſimul, vel vnius tm̄ ſeparatim, cuius rei dignoſcedæ modus lib. de Differentijs ſymptomatū cap. 3. declaratur. Fit ſæpe Delirium in Carbonibus Caput obſidentibus, rarò in alijs, idq; vt locus Prorrheticorum adductus demonſtrat, non alia contingit ratione, q̃ Cerebro excalefacto. Laudantur in hoc caſu reuulſiones, frictionū, ligaturarum, clyſterum, veſicantium, & cucurbitularū opera adminiſtratæ. Probatur quoque Oxyrhodinum, niſi cutis, ſuturæ coronali ſuperpoſita in tumorē ſit eleuata. Oxyrhodini formula eſt hæc. Rec. olei roſ. vnc. ij. viol. vnc. 1. Succi Limonis vnc. 1. M.

Curatio.

Somnus profundus.

Somnus profundus, quē ſoporē, & Coma ſomnolentū Autores appellant, ex ſenſus cōmunis deprauatione oritur, & q̃uis à frigidis ſuccis, vt plurimum proueniat, legimus tñ primo in ſextū Epide. tex. com. 2. à calidis aliquando halitibus, & humoribus generari, quod ſi in aliquo affectu locum habet, in Carbunculis præſertim habere debet. Tollitur ſymptoma hoc Odoramentis ex Ruta: Poſca Oculis affuſa: frictionibus aſperis: ligaturis: & veſicantibus Coxis, & Vlnis appoſitis, hæc an. & calore, & dolore attrahendo à capite reuellunt, ægrumque moleſto ſenſu excitant. Rectā aſtorū adminiſtrationē, cū ſuperius docuerimus, conſulto prætereo. Conducit et Oxirhodino caput perfundere ex duabus partibus olei chamemelini, vna olei roſ. completi, & altera aceti roſ. confiato.

Curatio.

Dolor.

Dolor ad ſenſum tactus deprauatum pertinet, qui in corporibus plethoricis, & malo ſucco vitioſis potiſſimū exacerbari ſolet, vnde ſi vehementior ſit, calidorum, & prauorum humorum affluxum copioſum adeſſe ſignificat: vocatur hic à Gal. 6. in 6. Epide. tex. com. 5. dolor malignus. Vnde præter reuulſiones iā propoſitas anodyna, moderatè refrigerantia, & alexipharmaca probantur. Conficiantur ergo Cataplaſmata temperata ex folijs pſyllij decoctis, & contuſis, vel ex ſucco Plantag. mica panis, & mucillagine Pſyllij, oīaqua Chamæmeli, ſcordij, & ſcabioſæ extracta, vel ex farina hordei, & melle: quibus

Curatio.

detru-

defrutum, vel ſapa addere non erit incongruum, nec non aliquod Alexipharmacum, & præſertim in Carbunculo peſtilenti.

Palpitatio Cordis.

Cordis palpitatio, quæ ad deprauatum cordis motum refertur, atq; in hoc caſu plerũq; eſt illegitima ex prauis halitibus ipſum infeſtantibus ducit originem; dum.n. expultrix ad expellendum inſurgit, motus ille tremulus efficitur. Quapropter ea ſunt offerenda, applicandaq;, quæ Cor ipſum roborent, & vapores illos deleterios diſcutiant, malignæq; illorum naturæ reſiſtant. Conuenit intrinſecus Elect. de Hyacintho in aqua Scorzoneræ, & ſcabioſæ, diſſolutum; aqua Theriacalis, & Theriſca ipſa aliquo refrigerante temperata. Recentiores vtuntur Electuario Coagulis: quod Recipit Coaguli hędinj, Coaguli Ceruini an. vnc. ij. s. Vini maluatici odoratici vnc. ij. Teſticulorum coctorum in poſca facta ex aceto temperato cum aqua bugloſſæ vnc. i. s. Elect. triuum ſantalorum, Elect. Diarhodonis Abbatis an. vnc. i. Saccharí roſ. vnc. vj. Pulu. vnicornum, ſmaragdi an. Scrupulum cum ſufficienti quantitate Syr. roſ. aut de Cort. citri fiat Electum molle, de quo exhibeatur mane & hora competenti Cochlear vnum. Extrinſecus optimum eſt Epithema Cap. 7. deſcriptum: poſt cuius vſum nil melius, quam oleo Magni Ducis, vel Mattheoli Cordis Regionem inungere.

Curatio.

Lipothymia, & Syncope.

Lipothymia, & Syncope vitalis facultatis deficientis ſunt Symptomata; hinc eſt quod extremum, & proximum vitæ minantur periculum. Attamen ne ęgrotantibus opportuna deſint in tantis miſerijs auxilia, iſta adminiſtrantur, quæ pro Palpitatione auferenda propoſuimus. Et præterea cum duo hæc imminent ſymptomata concinnetur Deſtillatum ſecundum hanc formam.

Destillatum.

Rec. Pulpam vnius capi iuuenis bene carnoſi ſemicoctam pelle, & pinguedine detracta ———

Fol. oxalidis, endiuiæ,
Sonchi, ſcabioſæ } *an. p. i. s.*
Boraginis pimpinellæ
Rad. pentaphylli ——— *vnc. ij.*
Tormentillæ, ſcorzoneræ, an. vnc. i. s.
Aquæ ſcorzoneræ, endiuiæ ſcabioſæ an. vnc. iij. s.
Succi limonis, aurantij ——— *an. vnc. ij.*

Con-

Conſer. de acredine citri ——— vnc. ij.
De ſcordio ——————— vnc. I. s.
Spec. diamargaritonis fr. —— vnc. s.
Fol. auri ——————— drac. s.
Sem. citri prep. —————— drac. I.
Mica panis albiſſimi ——— lib. s.
Iuris in quo Capo fuit decoctus —— lib. ij.

Incidantur incidenda, contundantur contundenda, deinde miſceantur omnia ſimul, & deſtillentur s. a. ad Mariæ Balneum.

Aqua, quæ deſtillat, ſeruetur in vaſe vitreo optime obturato, exhibeaturq; patienti ad duas, tres, & quatuor vnc. cum maxima fiducia, nam omnium remediorum eſt præſtantiſſimum, habetq; vim tū nutriendi, tum Cor ipſum roborandi, tum prauę qualitati reſiſtendi.

Nauſea. Nauſea, vt colligitur ex Gal. 2. de cauſſis Sympto. 8. & 3. eiuſdem operis cap. 2. eſt deprauatus expultricis motus cum continua ad vomitum propenſione, quam tamen non ſemper ſequitur vomitus. Oritur hęc affectio aliquando à malignis vaporibus, qui à Carbunculo ipſo ori ventriculi communicātur: aliquando à copioſis, vel vitiatis humoribus in ventriculo genitis, aut ad ipſum tranſmiſſis, ibique impactis; qui vel tenues, & calidi ſunt, vel craſſi & frigidi. Si pendeat ex vaporibus conſe-

Curatio Nauſea ex vaporibus. ret bolus ita præſcriptus. Rec. Cōſ. Acetoſę, ſcordij an. drac. ij. Theriacæ ſcrup. i. Coralli rub. præparat. Scrup. s. M. Curatur

Curatio Nauſea ex tenuib. & bilioſis humoribus. Nauſea à tenuibus, & calidis humoribus bilioſis nempe genita, Vomitus prouocatione, ſi ęger ad vomitum ſit diſpoſitus; idcirco optimum erit exhibere vnc. iiij. cremoris Ptiſſanę cum vnc. iij. Syr. Acetoſi ſimpl. Vel vnc. viij. aquæ tepidæ cum vnc. ij. Oximell. s. Si verò Æger ad vomitum non ſit propēſus, Clyſteres ex decocto communi, aut iure addito Diachatol. & Melle roſ. inijciantur. Re ex voto ſuccedente ad roborātia, de quibus mox dicemus tranſeundum, nam cum Nauſea à tenuibus ſit humoribus, maximam adeſſe Ventriculi imbecillitatem ſignificatur, ſecus. n. tenuem illam materiam per vomitum ſponte ſua extruderet. Quod ſi propoſita nihil operentur, morbificam materiam per interiores partes expurgare tentandum Pi

lulis

Iulis de Aloe lota cum ſucco roſarum ad drac.i. quia eodem tē pore tollitur humor peccans,& Ventriculus roboratur. Probā tur quoque Pilulæ Rufi,ſi excellens putredo adſit,& febris mi tis,nam validiori exiſtente nil præſtantius drac.i. Rhabarbari optimè leuigati,& drac.iij. Conf. Roſarum permixti. Cœterū ſi excitetur nauſea à craſſa & frigida materia adeo Ventriculi tunicis impacta,vt nequeat à Natura expelli, dūmodo Æger ſit ad vomēdum promptus, Radicis Aſari, & ſem. Anethi decoctum erit ad propoſitum addito oximellite. Aſt ſi per Vomitum materia euacuari nequeat experiundi ſunt Clyſteres. Sed præſtat incidentibus, & attenuantibus craſſos humores parare,mox euacuare cum drac.ij.ſpecierum Hieræ,& drac.vj. floris Caſſiæ. Vel vrgente febre vnc.v.Mell. roſ.ſol. Agrimoniæ, & ſcabioſę decocto diſſolutis. Quibus peractis, Ventriculi Tonus,& proprietas ſtomachicis,tum externis,tum internis conſeruare nitendum. *Curatio Nauſea ex craſſis, & frigidis humoribus.*

Ad excuntia mutata reducitur vomitus, & fluxus Alui colliquatiuus,circa quæ breuiter digrediendum. Vomitus fit ab expultrice Vētriculi,à praua materia in ipſius cauitate fluctuāte irritata,qui dum confert permittēdus eſt,vt pręcipit Hipp. primo Apho.2.dum verò Vires proſternit,curari debet varijs medicamentis pro varietate cauſſæ expultricem facultatem irritātis. Si itaque vapor malignus à Carbunculo,vel ab alia parte procedens hunc excitet boli ſuperius in Nauſea propoſiti, erūt opportuni. Quod ſi vomitus ab humorib. pēdeat,ſpecies humoris,& generationis locus conſiderandus. Si.n.alibi generetur, & inde ad Ventriculum confluat,reuellentia requiruntur,& euacuantia determinata,nec non roborantia , & adſtringentia,quę in omni vomitu ſymptomatico ſunt neceſſaria,nō quidem à principio dum vires conſtant,ſed poſtea quando circa Aluum partes fuerint expurgatæ. Expurgari autem poterunt pharmacis nuper pro nauſea deſcriptis. At ſi vires deficiant, & cōſequenter iſtud ſymptoma ſubeat rationem cauſſę, ſtatim adſtringentia, & roborantia offerantur, quale in cauſſa calida hoc eſt. Rec. Diacitonites cum ſaccharo ſine ſpeciebus vnc.ij. Margaritarum præp. Coraliorum rub.pręp. Cornu Cerui præp.an.drac.s. Syr.de Menta ſine Aromatibus vnc.s. Syr. *Curatio.* *Vomitus.*

de

ta Roſis ſiccis q.s. M. & exhibe ab vnc.s. ad drac.vj. per hęc ram ante cibum. In cauſſa frigida addi poterunt Citri Cortices ſaccharo conditi, & ſpecies Diarhodonis Abbatis. Extrinſecus conueniunt odoramenta proportionata: Cucurbitula in regione ventriculi, dū Aeger cibum aſſumit, & Inunctiones ex oleo Cytoniorum, & Maſtichino additis ſpeciebus Diarhodonis Abbatis. Efficacius eſt emplaſt. de Cruſta Panis Montagnanę. Sed omnibus præponendum emplaſt. Diaphenium frigidum, quippe præclariſſimam operam pręſtat, vt quotidiana experientia teſtatur.

Fluxus Alui colliquatiuus. Curatio.

Tandē ſi fluxus alui colliquatiuus ſuperueniat, qui & Peſtilens dicitur, quoniam Peſtiferarum febrium vt plurimum comes eſſe ſolet, adſtringentia validiora ſunt euitanda, quorum vice Syr. de limonibus, Myrtinus, roſ.s. de Ribes, de Acredine Citri ſubſtituantur, qui dilui poterunt iure Pullorum alterato folijs acetoſæ lactucę, Radicibus Penthaphylli, & nodulo de berberis. Inſpergatur huic iuri, & ferculis quoque puluis, qui Recipit Cornu Cerui pręp. Margaritarum pręp. Corallorum rub. pręp. an. drac.s. Spec. Diamarg. frigi. drac.1. Saccharí finí vnc.s. fiat puluis. Probantur Clyſteres ex ſucco Quze, vel lacte, et ſi adſint tormina ex cremore ptiſanæ cum Ouo integro, & oleo roſaceo. Cataplaſmata pectori, & præcordijs refrigerantia adhibere oportet, cibaria etiam & potiones eiuſdem naturæ. Optimum denique eſt Elect. vltimum in cap. 3. huius ſectionis deſcriptum.

Hęc ſunt potiora accidentia, quæ in Carbunculorum curatione à Medicis ſunt ſedulo reſpicienda. Poſſunt & alia contingere, quæ curam ad ſe trahere apta ſunt, ſed cum rarò eueniāt, non eſt, vt circa ipſa longius digrediamur, quilibet.n. ad propria capita oculos dirigens, quid ſit agendum poterit determinare. De Pharmaceuticis diximus copioſè. Reliquū eſt, vt pro iſtius operis complemento ea, quæ ad victus rationem pertinent, diligenter perpendamus.

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

De Victus ratione Carbunculis omnibus accommodata.

TITVLO Rationis victus Res omnes non naturales à Medicis nuncupatas intelligi in præſentia volumus, quarum recta adminiſtratio à fonte Dietetico deſumitur: neque enim Ægros illa tantum, quæ ad cibos, & potus attinent, admonere ſat eſt, ſed eoſdem de Aeris electione: de ſomno & Vigilia: de Inanitione, & repletione: de motu, ac quiete: demum de Animi accidentibus docere maximè intereſt. Vt igitur hac in parte noſtra haud deſideretur diligentia, de omnibus iſtis dicemus ab aere exordio ſumpto; tanquam ab illo, qui vt docuit Autor lib. de flatibus, mortalibus Vitæ eſt autor.

Aer ergo ſit lucidus, & ad frigidum vergat, propter quam cauſſam æſtiuo tempore cubiculum eligendũ, quod feneſtras habeat ex ea parte, vbi commodiſſimè ab Aquilonaribus Ventis perflari poſſit: hi enim maximè malignis, & Peſtilentibus morbis aduerſantur. Luculentiſſimum huius rei experimentũ habetur apud Varronem, cuius verba ex lib. primo de Re Ruſtica cap. 4. deſumpta libet hic apponere. Varro noſter cum Cocyræ eſſet exercitus ac claſſis, & oẽs domus repletæ eſſent Aegrotis, ac funeribus, immiſſo feneſtris nouis Aquilone, & obſtructis Peſtilentibus, ianuaq; permutata, cæteraq; eius generis diligentia ſuos comites, ac familiam incolumes reduxit. Sed Aquilone ſilente, ſi Aeſtas ſit, aut calida conſtitutio, aqua frigida largiter cubiculi pauimentum perfundere cõducit, eò magis ſi febris adſit. Quæ ſi maligna, aut Peſtilens ſit, aqua aceto roſaceo miſta domus irroranda; & alijs, quæ refrigerando exiccant, Aer alterandus, vt ſunt folia Salicis, & Arundinum virentium, Pampini Vitis, flores Roſarum, Violarũ, & Nympheæ, quæ poſtrema, quamuis potius humectent, probantur, quia cum benè oleant, ſpiritus mirificè reficiunt. Hinc ſi rigente Hyeme talis ſe ſe oneerat affectio, quod tamen rarius *De Aere.*

euenit, Ignem alere diu oportet lignis Iuniperi, Cupreſſi, & Roſis Marini: hæc enim aerem exiccant gratumq́; ac ſuauem conciliant odorem, à quo Vitales, & Animales ſpiritus admodum reſtaurantur. Vnde maximopere conducit ſæpe naribus admouere odoramentum confectum ex aqua roſarum, aceto roſato, Vino maluatico, & Corticibus citri: quo etiam ſæpe manus, & facies abluatur, præſertim in conſtitutione peſtilenti.

De Cibo, Et Potu. Cibus febre deficiente ſit mediocris ad frigidum, & ſiccum declinans, cuius materia ptiſſana erit hordeacea integra, vel panis in Iure paruę pullæ, & oxalidis maceratus: ex oleribus lactuca, Borrago, lupulus, & Endiuia decocta: ex fructibus mala Granata, aurantia, Ceruſa acetoſa, & pruna damaſcena in mediocri quantitate. Potus verò ſit aqua, vt ait Celſus, copioſa, vel ſimplex, vel alterata cum hordeo, acetoſa, & ſimilibus. Si autem febris eaq́; putrida, & continua, addiungatur, morbus acutus eſt, & tenui victu indiget: Vnde, & panis lotus, & panatella cum emulſione ſem. Melonum, & cremor ptiſſanæ, & aqua carnis probatur. Nec inconuenit fatiſcentibus viribus Ius paruæ pullæ cum Oxalide alteratum exibere, in quo panem contritum decoquère, & Oui Vitellum admiſcere licebit: immo ſi Vitalis facultatis infirmitas maior eſt, offeratur ægrotanti ſuccus Caponum & Gallinarum iuuenum cum emulſione ſem. Melonum. Potent qui ſic affecti ſunt aut aquam hordeaceam aceti modico remiſtam, aut Iulapium Citri puriſſima aqua dilutum. Verum dum Carbo Peſtilens eſt, maius cæteris faceſſit negotium, quia in hac morbi ſpecie ſtatim virium robur diminuitur, atque alia ex parte tota ſalutis ſpes in robore viriũ verſatur: quamobrem etſi morbus peracutus eſt, nec tenuiſſimus, nec tenuis ſimpliciter laudatur victus, ſed potius mediocris, & conſeruans. Eligenda ſunt cibaria maximè reficientia, refrigerantia, & ſiccantia malæ qualitati reſiſtentia, & guſtui iucunda, nam ſecus à patientibus appetentia admodum deſtitutis reſpuuntur: ad quod reſpiciens forſan Galenus 2. de Alimentorum facul. cap. 27. dicebat, ſe nolle Medicum obſonatricis artis omnino eſſe ignarum. Edulium guſtui accommodatum, maximeque reficiens eſt ſuccus pulpæ Caponis, vel perdicis Amygdalarũ dulciũ, malorum punicorum, & citrinorũ ſucco

remiſtus,

remiſtus,cui ſi aliquod addatur alexypharmacũ, vt aqua Scorzoneræ,vel ſcabioſæ pro alimento, & medicamento inſeruiet. Superius quoque in hoc caſu deſcriptæ conueniunt ſorbitiones,vt cremor ptiſanę,panis contritus in Iure decoctus, propoſitarum carnium conſumatũ Ius, & alia huius generis, quæ omnia omphacio,Aceto,ſucco Citri,Limonum,aut Citrangulorum auſterorum ſunt condienda,nã & gratiora palato ſunt, & magis viuant,quia Acetoſa,vt Auic. prima 4. tract. 4. cap.4 decreuit,tanquam putredinem arcentia in curatione hac maximè conducunt. Iſtis omnibus tortiua Iura,& Deſtillatum proximo cap. propoſitum,eſt adiungendum, tanquam res aſſumptu facillima,& viuificæ facultati admodum amica. Quãobrem ſæpe propinetur, cum enim vires aſſiduo à tam fęda putredine labefactentur,eas ſingulis quatuor,vel ad ſummum ſeptem Aequinoctialibus horis,vel hoc deſtillato, vel ſorbitione aliqua refocillare oportet, hac ſemper habita cautione, vt alimentum ſit vi maximum, mole minimum. Vinum ſic affecti non deguſtent, niſi tanta adſit Virium iactura, vt ſyncope immineat, in quo caſu Vinum eligatur Olygophorum, atquè optime diluatur. Cæteris temporibus aqua exhibeatur decocta, vel quod magis probo aurata, quæ fit,dum in ipſa pluries Aurum extinguitur. Permiſceatur huiuſmodi aquis Succus Limonum, vel Citri, vel mali aurantij, & modicum ſacchari. Quod ſi Delirium, aut aliud ſymptoma humorum raptum ad Caput demonſtret,vel ſuperfluo Aegri torqueantur Vomitu, tam in his,quam in alijs omnibus Carbunculis Vinum Granatorum aqua dilutum damnari nequit. De hora cibos, & ſorbitiones allatas offerẽdi in vniuerſum admoneo,ſi febris acceſſiones habeat in illis nihil dandum eſſe, ſic præcipiente Hipp. primo Apho.21. niſi adſit, vel immineat ſyncope, tunc enim qualibet hora cibare licet. Si verò continentium formam retineant minoris afflictionis tempus eligatur. Atqui ſi ſymptomata vniformia ſunt,conſuetudo reſpiciatur. Verum ſi tale ſit cibi faſtidiũ,vt eos omnino Aegri auerſentur repurgata prius à ſuis fecibus aluo, inijcientur Clyſteres ex iure Caponis, vel ſucco hordei, & Amygdalarũ dulcium addito ſaccharo,& Oui Vitellis. Nec prætermittenda intrinſeca, & extrinſeca Ventri-

culum roborantia,quæ procurando Vomitu ſuperiori cap. de-ſcripſimus.

De Somno, & Vigilia. *Arnaldus lib. 4. breuiarij, cap. 22.*

De ſomno & vigilia extat apud Recentiores decertatio,horum etenim aliqui ſomnum improbant,quia calorem ad interna corporis ducens,vt 4.in 6.Epide. tex.cō. 15. declarat Gal. prauam ac deleteriam qualitatem ab externis ad interna traducit,quo nil peius in affectione hac poteſt contingere:Aliqui vero ſomnum probant aſſerentes optimum eſſe,vt Æger,ſi fieri poſſit,die integra,ac Nocte dormiat. Pro quibus eſt Gal. 7. Apho.tex.com.18.vbi explicatis verbis docet, Vigilias vires diminuere,coctiones impedire,corpora exiccare, & bilioſiora reddere,quæ omnia patientibus iſtis maximè aduerſantur. De hac controuerſia ſic ſentio perpetuas Vigilias omnino propter allatas rationes eſſe fugiendas:ſomnum vero nocturnum, & moderatum permittendum per quinque ſex, & ſeptem horas in die naturali, niſi adſit ſyncope, vel ſoporoſus affectus, tunc.n. ne materia ad profundum, & viſcera magis fluat magis vigilandum.

De Motu, & Quiete.

De Motu,& Quiete ridicula prorſus apud Chirurgos ſuperioribus temporibus inualuit conſuetudo, quæ hac quoque tēpeſtate maximo Artis dedecore in aliquibus regionibus retinetur:Iubebant illi,vt per vias,& plateas ducerentur Ægri ab hominibus,& Mulieribus vociferantibus,& Tympana pulſantibus,idq; potiſſimum in Nocte, non ſecus ac fieri ſolebat antiquitus,dum Bacchanalia feſta celebrabantur. Quid obſecro ineptius excogitari poteſt?Quid deterius?non ne omnibus eſt in comperto motum calefacere,& ſi violentior ſit vires admodum imbecillas reddere? Deleatur ergo ab hominū Ingenijs tam pernicioſum & ſtultum inuentum,Ægriq; in quiete detineantur,& iaceāt,quies.n.corpora frigidiora facit, fluxiones ſiſtit,atque vt 5.de tuenda valetudine perhibet Gal.calidioribus corporibus vtilitatem affert.

De Repletione, & Inanitione.

Repletiones in hoc morbo maximè vitare oportet, ne ipſius auctioni materiam ſubminiſtrent:vnde & preſens plenitudo quæcunque ſit auferenda,& futura ſobrio victu prohibēda, ne natura à ciborum onere grauata ſuccumbat.Quod ſi Aluus adſtricta ſit, vel medicamētis leuibus per os aſſumptis,vel cly-

ſte-

ſteribus fęces ſunt educendæ. In vſu Clyſterium animaduertẽdum molles potiſſimum eſſe inijciendos ex iure veruecis, vel ſero Caprino, vel decocto hordei, & violarum confectos: quibus Mel viol. oleum viol. & ſaccharum rubrum addijciantur: atque ſi largior requiratur euacuatio Caſſia tracta pro Chlyſtere & Elect. leni. Alternis diebus, vel etiam ſingulis, ſi opus ſit Eclegmata iſta repetãtur, ne a fęcibus retentis vapores eleuati principes lędant partes, & præcipue Cerebrum. A Venere Anthracibus obſeſſi penitus abſtineant, nam qui imbecilli ſunt à Venere in extremam imbecillitatem redacti maximè læduntur.

Denique ad Medicos attinet Ægros verbis ſolari amicis, ne męſtitia, & timore percitis humores & ſpiritus intro reducantur. Monendi quoque aſſidentes, vt omni induſtria caueãt, ne Ægri ira corripiantur: hæc. n. mirum in modum ſanguinem & ſpiritus accendit.

CAPVT DVODECIMVM.

Peroratio.

ALexandro Regi de editione librorum Auſcultatoriorum conquerenti Ariſtotelem reſcripſiſſe ferunt, vt notauit Aulus Gellius ex Andronico lib. 20. Noctium Atticarum cap. 4. Scito eos eſſe editos, & minime editos. liceat mihi quoque beneuolum lectorem alloquenti hoc Ariſt. dictum alio tamẽ ſenſu vſurpare, ſi. n. vnus ex his fueris, qui Dogmaticã Medicinã ſeriò profiteris, & veritatẽ maximo amore proſequeris ſcito pro te huiuſmodi de Carbunculo Comẽtarium fuiſſe editum. Si vero alicui Sectæ es addictus, Empiricorum nempe, aut Paracelſiſtarũ, quos Theſſalicis aſinis multo deteriores exiſtimo, ſcito pro te librum hunc minime fuiſſe editum, & ob id ab ipſius lectione abſtine, ne tibi mihiq; ſis moleſtus. Quod pro illis Chirurgis etiam dictũ eſſe volo, qui amethodi ſunt, & prorſus ineruditi, attamen ignorantiam Superbię ita habent adiũctam, *Ariſtotelis dictum.*

ctam,

ctam, vt Medicorum recta conſilia nullo pacto auſcultare, nedum exequi velint, quamuis nulla inueniatur facultas, quæ magis conſultatione egeat Arte ipſa Medica. Verum obijciet aliquis, me Chirurgis nimium eſſe infenſum. Fallitur; nam Chirurgos rationales, & dogmaticos tanquam fratres ſemper dilexi diligamq; dum viuã, ſed irrationales (vt hoc verbo vtar) quis vnquã poterit laudare? Hinc eſt, quod in morbis magnis, & lethalibus curandis, quemadmodum eſt Carbunculus, dum periti artificis copia deeſt, humani & miſericordis Medici munus eſt, tum ſecare, tum inurere, tum alia in hac curatione neceſſaria munia exercere; nam quemadmodum Nauis Gubernatorem decet, & expedit aliquando remigare ſummumq; malũ conſcendere: & Imperatorem arcu vti, iaculari, & pugnare gladio, ita etiam Medicum Chirurgicas actiones obire nulla ſuæ dignitatis iactura; quoniam nil preſtãtius, nil homine dignius, quam hominem ex Mortis faucibus eripere. Ceterum ne quis ex predictis falſo colligat, accuratam mihi commentationem velle tribuere, quia nunquam à philautia deceptus ſum, ſciant omnes mihi exacta de propoſita materia pertractare fuiſſe in animo; alij poſtea equo animo iudicent an à ſcopo aberrauerim, nec ne. Quomodocunque.n. res ſe ſe habeat, quiſque, me proprijs laboribus in hac Iuuenili etate haud parcere, & probatos ſectari Autores, manifeſtè comperiet; quorum auxilio indies magis, magiſq, Medicæ ſcientiæ arcana, annuente Deo, à quo omnia bona proueniunt, perſcrutari conabor.

Medicus Chirurgicas actiones obire poteſt nulla ſua dignitatis iactura.

FINIS AD DEI GLORIAM.

M. ANTONII TOSII
De Noua quadam, atque hactenus à nemine excogitata Peripneumoniam curandi Ratione.

Ad Excellentiſs. Virum CAMILLVM TOSIVM *Patrem Philoſophum, & Medicum Præclariſſimum.*

ARTEM Medicam duobus quaſi cruribus incede re Ratione, & Experientia, iam diu (vt noris Amantiſſime Pater) à Gal. fuit affirmatum, & à poſterioribus Medicis nullo refragāte receptū. Inter quos etiam conuenit, Experientiam maximo eſſe vſui, immo Medicamenta ipſius auxilio inuenta ſtabiliora eſſe. Plura iſtius generis poſſem enumerare, ſed ne longior ſim, illud tantum adducam, quod mihi primo Epidemicæ Peripneumoniæ Gualdenſis occaſione ſuperioribus diebus contigit experiri, nouum quidem, & prima fonte admirabile, rationi tamen conſentaneum, vt audies.

Verùm ad perfectam omnium, quæ dicentur, intellectionem, ad memoriam debes reuocare, ſuperiori anno. M. DCXI. poſt vehementiſſimos æſtatis calores ſqualloribus adiunctos, qui non ſolum toto Autumno, ſed Hyemis quoque principio perdurarūt, medio Decembris menſe maxima de repente ſuperueniſſe frigora, quæ à Niue, et atrociſſimo gelu, nec non ab aſſiduo furentiq; Aquilonis flatu adeo fuere aucta, vt nunquam in toto meæ vitæ curſu rigidiorem aerem fuerim expertus; quæ aeris rigiditas vſque ad menſem Maij perdurauit. Hinc eſt, quod calidioribus ſucciſ ex priori conſtitutione genitis ad profundum corporis impulſis, & præſertim ad Pulmones, quos, cum homo ſine reſpiratione viuere nequeat, Aquilo vehementer lædit; tum hic, tum alijs in locis Aquiloni expoſitis graſſari cæperunt publicè Peripneumoniæ, quas nos Pulmonum inflammationes appellamus, tanto cū impetu, vt plures Aegri quarto, aut ad ſummum ſexto morbi die ex hac vita deceſſerint. Acciderunt hę potiſſimū Mulieribus vale-

tudinarijs

tudinarijs ſenio & paupertate confectis, atque ijs præſertim, quę antea pectoris vitio laborabant: ex Iuuenibus non multæ ęgrotarunt, pauci ex Viris plebeijs, & laboribus deditis, quorum maior pars conualuit.

Illud quod Paradoxum videtur, & non ſine admiratione dici, audiriq; poteſt, nunc ſubnectam. Mulier iam ſexagenaria nomine Cecilia calidæ & ſiccæ temperaturæ eodem morbo detenta, cum accerbiſſima diſcruciaretur ſiti, quę Peripneumonicis ſocia perpetuò eſſe ſolet, niuem ſibi aſportari iuſſit, reluctantibus omnibus; atque illam die noctuq; frequenter in ore detinebat, nec tamen deglutiebat; quemadmodum ipſamet etiam poſt valetudinem acquiſitam pluries firmiter aſſeuerauit. Præter vehementiſſimam ſitim, hæc aderant ſymptomata, Dolor Thoracis cũ exiguo grauitatis ſenſu, Difficilis admodũ calidiſſimaq; reſpiratio Maxima frigidi aeris attrahendi cupiditas; Pulſus, magnus lãguidus, intercurrens, creber, dicrotus; febris ardens. Tuſſis eaq; vt plurimũ ſicca, rarò.n. flaua excreabat; Malarum & faciei rubor; Vrinę rubræ, lingua ſicca, aſpera, nigra; Oris amaritudo; Vigiliæ; Inquietudo. Secta ſtatim in Cubito Vena eaq; Iecoraria, eductuſq; ſanguis ad octo vncias partitis vicibus. lenita aluus Clyſteribus. Cœtera omnia recuſauit remedia exceptis extrinſecis. Potus aqua hordei cum Iulapio violato. Cibus panis contritus ex iure paruę pullæ, Cremor ptiſſanæ cum emulctione ſem. Melonum. A Niue, quamuis monita nũquam voluit abſtinere, vnde ab omnibus pro deplorata habebatur. Attamen bilioſa quarto die ſuperueniente Diarrhęa ſeptimo à febri alijſq; ſymptomatibus omnibus preter omnium expectationem immunis reddita, nunc optimè valet.

Paucis tranſactis diebus altera mulier ruſtica inflammatione Pulmonis correpta ijſdem ſymptomatibus conflictabatur, aderat tantum in dolore diuerſitas, qui in ſuperiori vniuerſum Thoracem, in hac dextram magis partem obſidere videbatur. Erat hęc quadragenaria temperaturæ itidem calidæ & ſiccæ naturæ inquã pichrocolæ, vt Hipp. verbis vtar 3. de Victu acutorum tex. com. 38. Pręter Venę ſectionem ſyrupos refrigerantes, & aliquo pacto expectorantes, Eclegmata, & inunctiones, Niuis vſum imperaui, mandans vt ore niuem aliquando detineret. Paruit, & breui fluxus alui beneficio ſanata eſt omnium admiratione. Iſtis exemplis

moni-

monitus proximis diebus Homini, & Mulieri eadem affectione detentis ob Niuis defectum, vt aqua ſæpe os collucerent iuſſi, eaq; adeo gelida, vt Niuis algorem quodammodo æmularetur, qualē ĩ huiuſmodi Oppido vberrimam eſſe ſciunt omnes: atque hi ēt priſtinam aſſequuti ſunt valetudinem. Quid igitur, non ne hoc nouum, & inuſitatum eſt medendi genus?

Sed vereor, ne Paulum imiteris, dum lib. 3. cap 43. de Medico illo loquens, qui colicam ægritudinem tunc temporis per Italiā, aliaq; Romani Imperij loca inſtar peſtiferi anguis cu 11 maximā clade peruagantem Aqua frigida, lactucis crudis, intybo, alijsq; refrigerantibus fœliciter curabat; hæc habet. Sic igitur laborantes Medicus quidam in Italia curauit victus quadam ratione infideli, refrigerante, & maximè temeraria. Infidelem verò, & temerariam propoſitam Peripneumoniæ curationem iure dici poſſe plura confirmant. Atque illud, quod primo ſe ſe offert, eſt contex. Hipp. 41. lib. 2. Prognoſt. vbi hæc leguntur verba. Screatio in omni dolore qui affligit circa Pulmonem, & Coſtas, citò, prō ptèque ſcreetur neceſſe eſt. Nefas igitur Medico ſcreationem in Peripneumonia remorari, quia totis viribus eam prouitare tenetur. At frigidorum vſu ſcreationem retardari manifeſtè colligitur ex 3. de victu acutorum tex. com. 29. quo loci interpretans Gal. Hipp. verba illa, cum autem dare volueris Oximel per quā tepidum, paulatimque, & non affatim dabis, ita loquitur: Pari modo & Æſtate frigidū porrigere, vt antea præcepit, ideo timet, q tum Pleuritides, tum Peripneumoniæ, in quibus nihil expuitur, crudæ ſunt; coctioni autem calidum perpetuò opitulatur, contertq.; frigidū verò renititur, & aduerſatur. Frigidum itaque ex Gal. ſcreationi officit. Præterea frigida qualis Nix, & glacies Pectori inimica 5. Aphoris. 24. ergo in hoc morbo, in quo Pectus afficitur, ab iſtis omnino abſtinendum. Atqui ſatis conſtat, ex Aquilonia tempeſtate huiuſmodi morbi genus proueniſſe, nam huius tempeſtatis familiare eſſe Pectori noxam inferre 3. Aphoriſ. 5, & 17. expreſsè docetur. Quo ſtante præceptum Gal. eſt 2. in primo. Epidem. tex. com. 7. attendendum eſſe omnibus in ſtatibus cuiusq; hominis naturam, vt ſit ad ſtatum appoſita. Mox genus Vitæ applicandum, atque ſalubris victus ratio conſtituēda ſtatui ipſi aduerſaria. Hinc ſequitur in præpoſitis ægrotantibus calori-

ficis agendum fuiſſe, non refrigerantibus. Cæterum Galenus in continua ardentiq́; febre frigidæ potum, at Balneum plurimum commendat; tamen 11. Meth. cap. 9. frigidam in balneo lotionem, aut frigidam potionem, cum ambiens frigidus eſt, non admittit. Quamobrem multo minus in ægrotantibus iam deſcriptis erat admittenda, cum præter aeris frigiditatem, ipſa etiam internæ partis phlegmone frigidorum exhibitioni refragaretur, quæ docta eiuſdem Gal. 9. Meth. cap. 5. ſententia eſt. Poſtremò in curatione Pulmonię Autores calidis perpetuò vtuntur tum intrinſecus aſſumptis, tum extrinſecus admiſtratis, vt videre eſt apud Aetium ſermone 8. cap. 66. & Paulum lib. 3. cap. 30. immo Celſus lib. 4. cap. 7. Aegrum clauſis feneſtris detinendum præcipit, timens aeris frigiditatem. Hac infidelitatem, & abſurditatē propoſitę curationis oſtendunt: quod ſi aliquando benè ceſſit, inde contigiſſe ſuſpicandum quod ſæpe (vt adagio fertur) fortuna Artem.

Verùm enim verò res magis accuratè perſcrutanda, neq; enim licet in dicta cauſſa quemquam condemnare: audiantur ergo quæ frigida Peripneumonicis aliquando conuenire demonſtrant. Pro quorum fundamento primò affero caput. 9. lib. de Atra bile, vbi hæc habentur. In partibus non conſpicuis, & in corporis profundo ſimiles affectus ijs, qui in cute gigni ratione non caret; ſi enim bilis flaua in partem quampiam vnam decubuerit Eryſipelas fiet: neutiquam ergo inficiandum Pulmones Eryſipelate poſſe laborare, eo magis, quod hac in re communis eſt Medicorum omniū aſſenſus. Illud deinde pro comperto haberi poſſe exiſtimo, prędictos Aegrotantes Pulmonū Eryſipelate fuiſſe detentos, hoc etenim ſatis ſuperquè febris Ardens; ſitis illa vehementiſſima, doloris qualitas; Pulſus iā deſcriptus, Vigiliæ, Oris amaritudo aliaq; ſuperius enarrata ſigna manifeſtant. Quæ omnia adfuerunt in Muliere quarto die iſtius inflammationis vi defuncta: cuius diſſecto cadauere Pulmones nigricantes, & veluti combuſti abſque vlla ſanie apparuerunt, naturali magnitudine parū immutata. Contrarium accidit in inflammatione à ſanguine pituitoſo excitata Pulmonibus magis familiari, quod in alterius Mulieris diſſectione hoc eodē anno obſeruaui: hæc enim Pulmones habebat maximè tumidos, ſanie admodū refertos, quę in cauitatem Pericardij penetra-

penetrauerat: immo in ipſo etiam Thoracis ſpacio maximus adeſrat ſanioſæ materiæ prouentus, quamuis Mulier illa quinto ægrotationis die è uiuis deceſſerit. Iſtis hoc pacto conſtitutis, ſi Gal. credimus 13. Meth. cap. 8. etſi Phlegmonis, & Eryſipelatis curandi commune caput eſt infeſtantis humoris euacuatio; attamẽ in Eryſipelate magis vrget refrigerationis indicatio, quam vacuationis, in Phlemone contra. Si quidẽ Eryſipelas, vt habetur 14. Meth. cap. 3. non modo quantitate affligit, ſed etiam ex vehemẽti inflammatione qualitate ipſa cruciat, & idcirco maiorẽ phlegmone refrigerationem requirit. Accepit id à diuino Hippocrate 5. Aphoriſ. 23. vbi frigidum Eryſipelati remedio eſſe explicatis verbis docet. Cui quotidiana atteſtatur experientia, cũ ſępe accidat, Eryſipelata externas partes obſidentia frigidioribus tantum admotis, cuiuſmodi eſt ſuccus lactucæ, ſempeiuiui, & alia huiuſmodi, perfectè ſanari. Quod ſi in externis id locum habet, cur non multo magis in internis, & illis præcipuè, quæ Pulmonem affligunt, partem ſuapte natura admodum calidam, tum quia tenuiſſimo ſanguine à Vena arterioſa delato nutritur, tũ quia Cordi ipſi contiguus eſt, cuius viſceris tanta eſt caliditas, vt ſcribat Galenus lib. de fœtus formatione, & primo de ſemine. Si in recenter diſſecti Cordis Ventriculos digitum immittas, tam ingẽtẽ eius calorem percipies, vt vrat. Quamobrem rationi conſentaneũ eſt, Pulmonis Eryſipelas magis feruere, quam externum. Si itaque maximè feruet, cur frigida corpore prius vacuato illi non conueniunt? cur illud axioma contraria contrarijs curantur omnibus morbis commune ipſi repugnat? Ego quidem is ſum, vt nullum diuerticulum ad huius demonſtrationis vim. effugiendam nouerim effingere. Immo cum ex traditis Eryſipelas internũ, & pręcipuè Pulmonis externo multo calidior ſit, ſi ad externum Eryſipelas curandum medicamenta non tantum potentia apprime frigida, ſed aqua gelida, vel niue refrigerata primo de compoſitione medicamentorum per genera cap. 4. Gal. approbat, cur eiuſdem qualitatis remedia in Eryſipelate Pulmonis ſint reprobãda, prorſus ignoro. Etenim ſi verum eſt illud Gal. axioma: Remedia ſecundũ gradum æqualia morbis eſſe adhibenda: ſi illud Celſi non poteſt vehementi malo niſi ęquè vehemens auxilium ſuccurrere, curandus profectò eſt intenſus Pulmonis feruor intenſo aliquo

refrigerante actu, & potentia tali. Quinimo ſi illorum debet admitti ſententia, qui contendunt licere in morbis, qui non dant induc̃ias, contraria intenſiora vſurpare, cum magnum ex mora immineat periculum, in Pulmonis Eryſipelate morbo omnino per acuto, vt experientia confirmat, dubio procul eſt admittenda: eo magis quod ſummus ille feruor vrgentis ſubit rationem.

Nec rationes in contrarium allatæ alicuius ſunt roboris. Nam ad ſcreationem ipſam quod attinet, primùm animaduerto, refrigerationem in iſto caſu magis vrgere, quam vacuationem, quia ſumus in Eryſipelate, ad quod fortaſſe reſpiciens Hipp. & cum eo Gal. primo de Victus ratione in morbis acutis tex. com. 43. Oximel Aeſtate, & ſiti infeſtante frigidum exhibendum præcipit, quod ſi multa ſitis fuerit, ipſius aquę potionem permittit: nec ulli dubium hic de partium ſpiritalium inflammatione haberi ſermonem, & ea quidem Eryſipelatoſa: at in 3. lib. de illa agitur, quę à craſſa & viſcida materia dependet, vt Gal. in com. explicatis verbis docet: cui materiæ frigidum eſt aduerſum, quia ſputum craſſiorem, & viſcidiorem reddit. Locus autem Hipp. illud intendit, in inflammationibus quæ iudicari debent ſcreatione, neceſſariũ eſſe, ſcreationem citò promptèque effluere; quod itidem innuerat primo Apho. 12. illis verbis, in Pleuritide ſi ſputum primis diebus appareat, morbum breuiat, ſi vero poſtea producit. Si quidem pugnantia, & falſa loqueretur, ſi Pleuritidem, & Pulmoniã nullo alio Criſis genere iudicari ad ſalutem hic intelligeret, cũ idem Hipp. 9. Prognoſt: per abſceſſum iudicari docuerit: Aetius vero ſermone 8. cap. 66. eruptione ſanguinis ex naribus, & ſu ſo ſpumoſoq; fluxu: cui ſubſcribit Areteus Autor antiquiſſimus, & ipſamet experientia, præſertim defluxu alui; quemadmodum ego hoc anno pluries oculata fide perſpexi, ex multis enim qui ſuperſtites fuere, maior pars fluxus alui beneficio conualuit. Attamen dato, & non conceſſo quamlibet Pulmoniam ſcreatione ad ſalutem terminari, frigidorum vſus tum actu, tum potentia tantum abeſt, vt ſit detrimento, vt potius iuuamentum bilioſa exultẽte materia afferat. Quippe caloremi natiuum, & proprium coctionis effectricem cauſſam agnouit etiam Ariſt. 4. Metheo. cap. 3. attamen agens non agit niſi materia ſit bene diſpoſita: diſponitur ſi calida ſit a frigido, quod declarat manifeſtè Gal. locus. 2.

de

de Victu acutorum tex. com. 44. vbi de Bile hæc leguntur. Cruda quidem flaua admodum eſt, & acris, & malè olens; cocta autẽ & pallidior, & minimũ malè olens: hæc ille. Atqui Bilis pallidior à flaua caliditate ſuperatur, ſi ergo Bilis coquitur, dum ex flaua fit pallida, & hoc fit à frigido, ergo frigidum materia bilioſa exiſtente coquendi vim obtinet, dum ſcilicet ipſam præparat ad Naturæ beneficium recipiendum: idq; valentius præſtat humido adiunctum, quod in niue, & aqua gelida reperitur: nam nimia ſiccitas (vt colligitur lib. de Ptiſana cap. vltimo) expectorationem impedit. Nec dicat aliquis, frigidum incraſſat, ergo expectoratio nõ officit. Nam antecedenti admiſſo nego conſequentiam, dum enim materia tenuis eſt, vt in Eryſipelate Pulmonis, ad faciliorẽ per ſputum eductionem eſt incraſſanda: ſecus humor tenuis cũ ſubleuatus eſt inter tuſſiendum à ſpiritu diuiſus refluit, & ita nõ expuitur Gal. Autore 4. de locis aff. cap. 8. De Pectore cum pauca contegatur carne, & totum fere oſſeum ſit, pro comperto habendum frigidum illi eſſe detrimento, quod tum de externo intelligendum ob coartationẽ ſuperfluitatum, vt adnotauit Auic. x. 3. tract. 4. cap. primo, tum de interno, nam ſcribit Gal. 11. de vſu partium cap. 11. aliquos ob Vuæ exciſionem Pulmone, & Thorace refrigerato perijſſe. Aſt hæc omnia vera ſunt dum Thorax & eius partes proprium, & naturale retinent temperamentũ, vel ab ipſo per frigiditatem recedunt: nam dum calido affectu laborant, & frigidum externum, & internum ipſis auxiliatur. Vnde legimus 11. Meth. cap. 9. aliquos ardentiſſima febre detentos ſe ſe in frigidam conieciſſe, & protinus ſudaſſe, aut ex aluo bilioſa reddidiſſe, atque ita fuiſſe ſanatos. Atqui manifeſtum eſt, in Ardente febre Cor membrum in Thoracis medio ſitum vehementiſſime laborare. Nec ſolum Cor æſtuans, ſed etiam Pulmonem frigida extrinſecus appoſita iuuantur, vnde Hipp. 3. de victu acutorũ tex. com. 58. in Pulmonia ipſa aquæ dulcis balneum, magis, quam in febre Ardente laudauit. Frigidum vero internũ Pulmoni calido prodeſſe ex hoc colligitur, quod ſitis ex ipſius calida intemperie excitata potu frigido, & frigida inſpiratione ſedatur, vt teſtis eſt Gal. lib. Artis Medicinalis cap. 64. Præterea omnes Autores in Pulmonia bilioſa, ꝛ in Eryſipelate Pulmonis exhibent ſyrupum violatum de Endiuia, & alios conſimiles decoctis

refrige-

refrigerantibus dilutos, immo inter Recentiores Alexander Maſſaria Profeſſor Patauinus magni nominis prædictos ſyrupos actu frigidos ad libram vnam propinandos eſſe contendit. Quod ſi ſyrupi iſti admittuntur, quorum non ſola facultas, ſed ſubſtantia quoque intimius peruadit, non ne permitti debet Niuis, & aquæ gelidæ vſus, cum pura tantum earum qualitas, nō ſubſtantia mediante inſpiratione, & per partem poſt partem ſpiritales penetrat partes? Eo magis quod Pharmaca per os aſſumpta quamuis ſummè frigida ob itineris longitudinem, & caliditatem incaleſcunt; vnde eorum facultas refrigeratoria admodum refracta Pulmones ipſos attingit, & id circo vix, ac ne vix quidē ipſorum feruorem extinguere queunt; Hinc euenit, quod pauci illorum, qui morbo iſto laborant conualeſcunt. Verum ſi Nix, & aqua gelida in ore detineatur, Pulmonum Aeſtus dubio procul remittitur, vnde natiuo calore vegetiori reddito materiam peccantem per ſputum, vel per ſeceſſum expellit, quod vltimum ex frigidæ potu in febribus ardentibus ſæpe euenire omnibus eſt inconteſſo. Iſtis non obſtantibus aliquis obijciet, valde frigida ea ſaltem ratione Pulmoni etiam calidiori aduerſari, quia Venas frāgunt, vt videre eſt 3. in 6. Epidem. tex. com. 14. Cui reſponſum velim, in corpore plethorico id fortaſſe aliquando poſſe contingere, ſed corpore iam exinanito, & Pulmone æſtuante nequaquam. Illud autem, quod de ratione victus præſenti ſtatui contraria affertur, nullius eſt ponderis; reſpexit enim eo loci Gal. præſeruationem, non curationem: ſecus in febribus ardentibus, quæ in frigida, & humida conſtitutione aliquando vagari 2. in primū Epidem. tex. com. 15. enarratur calida & ſicca erunt vſurpanda, & ſic non morbo & eius cauſſis, ſed aeri medicamenta parabimus. Nec obſtat Galenum frigidi ambientis ratione habita potum frigidæ tunc temporis non approbare, quoniam timet, ne ob morbi ſæuitiam remedium alioquin optimum reddatur inutile; & propterea ſubdit. Nam ſi quando in frigido ambiente vti Aegrum contingat, exigua ſalutis eius habenda ſpes eſt. Nihilo tamen minus ſi ex eiuſdem Gal. præſcripto, in quibus alia ſalutis ratio non eſt, & quæ vnica videtur, ea dubia eſt, oportet vel agentes aliquid periclitari: multo magis ſummè frigida in Eryſipelate Pulmonis conueniunt, quia & ratio, & experientia illis ſuffragatur. Et quod

Z   dicitur

dicitur de Phlemone, facilem habet ſolutionem, nam in præſentia verſamur circa Eryſipelas, de quo paullo inferius in eodē cap. hæc habentur: Porro Eryſipelas, quod verum Eryſipelas ſit, non aliter ſanaueris, quam frigidæ aquæ exhibitione. Quid plura? Aetius & Paulus Polmoniam à pituitoſo ſanguine ortum trahētem, tanquam frequentiorem curant. At Celſus frigus externū timet, & id circo claudendas feneſtras præcipit: de internis autē agens ſic loquitur. Potui deinde non ſolum pura aqua, ſed etiam mulſa, e gelida, aut ſi æſtas eſt etiam frigida, niſi quid obſtet. Miror locum hunc à practicis Neotericis non fuiſſe animaduerſum, & præſertim à Mercuriali Viro alioquin in veterum lectione admodum verſato: forſitan ſi animaduertiſſet, non improbaſſet potum frigidum in qualibet Pulmonia. Melius Auic. qui x 3. tract. v. cap. 4. hæc habet. Peripneumoniæ factæ à Cholera rubra cura eſt difficilis, quam ſi aliquid confert, eſt extinctio vltima cum ſuccis vehementis frigidatis, ſicut olerum herbarum, & fructuum, qualis eſt ſuccus Endiuiæ: Prudentiſſimum profectò conſilium; quid enim inhumanius, quam ſinere Cor incendio conflagrare, & quod multo deterius eſt, illi Ignem addere, vt citius natiuo calore reſoluto Igneus dominetur cum Aegrotantis pernicie? Atque hæc fortaſſe potiſſima eſt cauſſa ob quam his temporibus à Pulmonis inflammatione, quæ in multis Piceni, & Vmbriæ oppidis Epidemica eſt, tam magnæ committantur Clades. Quod à Petro quoque Foreſto lib. 16. ſuarum obſeruationum obſeruatione 34. fuit animaduerſum; Vnde de Pulmonia Epidemica ſui tēporis ita loquitur. Plurimi ſuamet negligentia periere, cum non ſatis tempeſtiuè Medicum vocarent. Alij vero nimis naſuti ſibi ipſis medentes Medicamentis calidioribus (cum tamen febre acutiſſima afficerentur) Necem intulerunt. Cæterum hac de re alias (ſi Deo placuerit) longiorem habebo ſermonem, quemadmodū & de Peripneumonia in vniuerſum. Nunc (ni fallor) ſatis ſuperque probaui Pulmoniam à Bile ſummè refrigerantibus Niue ſcilicet ipſa, & aqua gelida ore detenta debere curari, ſectione venę prius adminiſtrata, non prætermiſſis tamen refrigerantibus ſyrupis ſupra aſſignatis, Eclegmatibus eiuſdem facultatis, nec non inunctionibus opportunis, & Victus regimine prædictis reſpondente. Veruntamen is ſum, vt clariſſimorum Medicorum ſen-

tentiæ

tentiæ plurimum tribuam, in quorum numero te quoque recenſendum eſſe non ambigo, cum in tot nobilibus Piceni Vrbibus tanta cum laude Medicinam factitaueris. Tuo itaque ſolertiſſimo iudicio hactenus enunciata omnia lubens, volensq; ſubmitto, Deum Omnipotentem rogans ex toto corde, vt tua Vota ſecundet, diuque ſeruet incolumem.

Gualdi Kalendis Maij. M. DC. XII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Correctione typographica Lauri de Miliſaſpris.

BIBLIOTECA